Con
S
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
59920 kat.komp.
III Mag. St. Dr.
P

S. Petri, cognomento Venerabilis, Abbatis Cluniacensis: Sermo de laudibus sepulchri Christi.

~~Fest. 5743.~~

SANCTI PETRI
COGNOMENTO VENERABILIS
ABBATIS CLVNIACENSIS IX.
SERMO
DE LAVDIBVS SEPVLCHRI CHRISTI.

QVEM

VENCESLAVS MIRKIEVICIVS CANONICVS ORDINIS EJUSDEM SANCTI SEPVLCHRI, S. TH. PROFESSOR, POST EDMVNDVM MARTENIVM ET VRSINVM DVRANDVM PRESBYTEROS ET MONACHOS BENEDICTINOS E CONGREGATIONE SANCTI MAVRI


EDIDIT, NECNON DISSERTATIONE, ATQVE COMMENTARIO ILLVSTRAVIT.

CRACOVIÆ M. DCC. LX.

In Typographio Seminarii Załuſciani Academicodiœceſani.

Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius passionis Monumentum, sub terra jam pridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem revera admirationem superat. Nam tametsi omnes, quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti, aliquid pro hujus rei dignitate dicere instituerint, ne ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur. Constantinus Maximus Imperator de Christi Sepulchro in Epistola ad Macarium Hierosolymorum Episcopum data apud Eusebium de Vita ejusdem Imperatoris Lib. III. Cap. XXX.

59920 III



VIRO JLLVSTRISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

D. STANISLAO BENEDICTO BARTOSZEWSKI

REGII AC EXEMPTI ARCHICOENOBII TINECENSIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATI REVERENDISSIMO

CANONICO CATHEDRALI CRACOVIENSI

VENCESLAVS MIRKIEVICIVS CANONICVS ORDINIS SEPVLCHRI CHRISTI.

FELICITATEM.

QUibus ſanctiſſimi æque ac vetuſti Ordinis Tui, Abbas Reverendiſſime, noſtri etiam res perſpectæ ſunt, non poterunt illi non arbitrari, me ſummo jure præſentem Sermonem Tuo Nomini inſcripſiſſe, imo nec commit-

tere

tere potuisse quin inscriberem. Cum enim vel ipse titulus indicet eum esse Abbatis Cluniacensis: cumque memoriæ proditum sit duodecim Viros Cluniaco missos hoc Tuum Archicœnobium opera Casimiri I. Poloniarum Regis posuisse (1); unum Te omnium vidi, cui tanquam nobilissimo hujus sanctæ Societatis membro istum vere Tuum Librum dedicarem, atque ita testatum facerem, quantum Petro Venerabili, quantum universis Cluniacensibus in his vero & Tinecensibus ipsorumque Abbati Canonici Sepulchri Christi debeamus. Quamobrem in Galliis quærere opus non fuit, quos in Te Tuoque, cui præes, religiosissimo Cœtu domi habere est concessum, ut Tuo & illorum nomine istud perpetuum grati animi monumentum jure optimo acciperes. Qui quidem animus noster erga Te universumque Ordinem Tuum eo propensior sit necesse est, quo aliis insigniora religionis in sanctum Domini Sepulchrum dederitis documenta, quæ nulla unquam ætas est oblitura. Ut enim omittam, quæ de peculiari Petri Venerabilis erga hunc Locum veneratione hic quoque dicturus sum:

quod

1. Qui de rebus Polonicis scripserunt, ferme omnes hanc singularem Casimiri Regis religionem commendant. Vnum adducam Martinum Cromerum Varmiensem Episcopum. ,, Pacato per circuitum regno, *inquit Poloniæ*
,, *suæ Lib. IV. pag. 52. & seq. edit. Colon. Agripp. an. M. D. LXXXIX.*, Cazi-
,, mirus memor pristinæ conditionis & vitæ monasticæ, victoriamque contra
,, Maslaum atque barbaros divino beneficio acceptam referens, Cluniacum,
,, ubi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignita-
,, tem erga se Dei prædicat: sodalitati universæ se suosque commendat: ali-
,, quot monachos ad se mitti postulat . . . Mittuntur duodecim. His partim
,, Tineciam arcem uno a Cracovia milliario supra Vistulam, cum centum am-
,, plius pagis: partim Lubensum oppidum ad Odram situm, cum compluribus
,, itidem pagis & proventibus aliis attribuit; domicilia monachis extruxit at-
,, que templa, eaque perampla supellectili ad cultum divinum apta ornavit.
,, Fuit autem primus Abbas Tinecensis Aaron Gallus: cujus integritas, pie-
,, tas, & industria Cluniaci adhuc Cazimiro perspecta erat ,, .

quod ſcilicet de negotiis ejus ſollicitus fuerit: quod ad idem orantibus ſe ſuosque Cluniacenſes enixe commendaverit: quod aliquam ejus partem ſibi mitti petierit (2); ut, inquam, hæc & alia omittam, ea ſolum commemorabo idque perpauca, quibus demonſtrem diu etiam ante Petrum, diu poſt illum Veſtros exſtitiſſe, qui hujusmodi cultu claruerint. Jam enim ſeculo nono duo Ordinis Veſtri Viri, alter anonymus Nicolao I. Pontifice, alter Bernardus aliquamdiu poſt, Hieroſolymam profecti ſunt, deque rebus quas in itinere vidiſſent commentariis relictis ad futurorum memoriam teſtati ſunt, lumen quoque illud divinum quod Sabbato ſancto extinctas ad Sepulchrum Domini lampades faceſve accendere olim conſueverat, a ſe viſum fuiſſe (3). Cum vero temporis progreſſu idem Sepulchrum imo & totam Terram ſanctam Sarraceni tyrannice occupaverint ac deturpaverint, Sylveſter II. Pontifex Maximus Benedictini Ordinis æque ac Romanæ Eccleſiæ decus præclariſſimum religioſa pietate motus perbrevem quidem epiſtolam ſed ſententiis gravem anno DCCCCXCIX. dedit, qua Hieroſolymitanæ Eccleſiæ nomine Catholici Orbis Eccleſiam ad ferendum aliquod ſubſidium eſt exhortatus. „ Quamvis nunc dejecta, *inquit*, tamen habuit me „ orbis terrarum optimam ſui partem. Penes me „ Prophetarum oracula, Patriarcharum inſignia. „ Hinc clara lumina mundi prodierunt Apoſtoli: „ hinc Chriſti fidem reperit orbis terrarum: apud

2. Agam de his in mea Diſſertatione.

3. Videnda ſunt quæ Lucas Acherius & Joannes Mabillonius dixerunt *Tom. IV. Actorum SS. Ord. S. Bened. pag. 499. edit. Lut. Pariſ. M. DCLXVIII.*

„ me Redemptorem suum invenit. Etenim quam-
„ vis ubique sit divinitate; tamen hic humanitate
„ natus, passus, sepultus: hinc ad cælos elatus.
„ Sed cum Propheta dixerit: Erit Sepulchrum
„ ejus gloriosum, Paganis loca sancta subverten-
„ tibus tentat diabolus reddere inglorium. Enite-
„ re ergo miles Christi, esto signifer & compu-
„ gnator: & quod armis nequis, consilii & opum
„ auxilio subveni „ (4). Quod certe si quispiam alius, Vos imprimis exequutioni mandasse videmini, omni consilio omnique opera in id impensa, ut gloria Tumuli Christi non modo obscura non redderetur, sed magis ac magis illustrior fieret. Quapropter religioni duxistis, ut pars aliqua ejus Hierosolymis ad Vos allata reverenter in templis asservaretur; quemadmodum inter alia bene multa, de Blandiniensi, Centulensi in Pontivo, Ponteleviensi, Casinensi, Scriptores Vestri testantur (5); ut domi etiam adire Vobis liceret, quod alii nisi post longa itinera & cum summo rerum discrimine assequuntur. Sed plane peculiare est, Vos particulam ceræ illius, quæ Sabbato sancto ad Sepulchrum Domini divinitus accensa fuerat aliquando, in majori altari Cryptæ Centulensis recondidisse (6): aliquid etiam olei, quod ibidem eodem modo & tempo-

4. Extat hæc Epistola *in Commentariis seu notis ad Vitam Gelasii II. Pont. Max.* apud Ludov. Anton. Muratorium *Tom. III. Scriptorum Rerum Italicarum colum. 400. edit. Mediolan. an. M. DCCXXIII.*

5. Adeundi Lucas Acherius & Joannes Mabillonius *Actorum SS. Ord. S. Bened. Seculo V. pag. 266.* Et *Seculo VI. pag. 321. edit. laudat.* Item Mabillonius *Tom. V. Annalium Ord. S. Bened. Append. pag. 670. edit. Lut. Paris. M. DCCIII.* Videndus quoque *Catalogus Reliquiarum Montis Casini Tom. VII. Script. Rer. Italic.* Ludov. Anton. Muratorii *colum. 950. edit. laudat.*

6. Et hic consule Mabillonium *Actorum SS. Ord. S. Bened. Seculo VI. pag. 321. edit. laudat.*

tempore arſerat, in ara beati Benedicti Caſini concluſiſſe (7); quo facto egregie imitati eſtis Fratres illos, quos itidem olei a ſancto Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo forte etiam in magna Paſchæ Vigilia mirabili quadam virtute ex aqua facti ſpecimen ad memoriam tanti miraculi diutiſſime ad ſua usque tempora ſervaſſe tradit Euſebius Cæſarienſis (8). Imo vero altius atque altius hujus ſancti Loci venerationem in animis Veſtris figentes eo eſtis progreſſi, ut Monaſteria Veſtra ejus nomine vocaretis, quorum vetuſtas veteris quoque iſtiusmodi venerationis præclarum eſt monumentum. Namque, ut prætermittam illas Domos quas Hieroſolymæ vocabulo indicare placuit Vobis, quod Cœnobium erat Noceuti, Placentinum, de Villaribus in pago Belvacenſi, Cameracenſe, de Commiſago, atque alia multo plura, nomen ſancti Sepulchri ſortita ſunt (9). In qua quidem re nec Cluniacenſis Familia cuipiam alteri ceſſit, cum ejus ita nominata Monaſteria & in Diœceſi Trecenſi, & Caſtriduni, & prope Rupellam, nec non apud Arvernos extitiſſe compertum habeamus (10). Quid plura? Fana etiam poſuerunt in templis Majores

7. Itidem Mabillonius refert *in deſcriptione ſolemnis Dedicationis Templi Caſinenſis ejuſque altarium Act. SS. Ord. S. Bened. Seculo VI. pag. 602. edit. laudat.* De hoc igne divino lampades facesve ad Sepulchrum Domini Sabbato ſancto quotannis accendente diſſerit etiam Petrus Venerabilis *Sermonis iſtius Num. XV. & ſeqq. pag. 11. & ſeqq.*

8. *Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. VI. Cap. IX. pag. 231. edit. Auguſt. Taurin. M. DCC. XLVI.*

9. De his quoque agit Mabillonius *Tom. IV. Annal. Ord. S. Bened. pagg. 288. 562. 598. 654.* Et *Tom. V. pag. 570. edit. laudat.*

10. Vide *Catalogum Abbatiarum Prioratuum & Decanatuum mediate & immediate Abbatiæ ſeu Monaſterio Cluniacenſi ſubjectorum, qui habetur in Bibliotheca Cluniacenſi Martini Marrier & Andreæ Quercetani edit. Lut. Pariſ. M. DCXIV.*: ſed potiſſimum vide *columnas 1719. 1726. 1735.* Conſule & Renati Choppini *Monaſticon præcipue Lib. II. pag. 163. edit. Pariſ. M. DC. X.*

Vestri, quibus rite ad exemplar Tumuli Christi, qualis est Hierosolymæ, formatis, eundem ob oculos Populi Christiani ponerent, atque adeo animos ipsorum moverent ad quotidianam quantumvis remoti Loci adorationem; quod de Placentino, deque Anhusensi legere licet (11). Neque illud prætereundum mihi est, perquam multos Vestrum extitisse, qui ut verbis Hieronymi loquar (12), „ putantes minus se religionis minus habere scien„ tiæ ... nisi in illis Christum adorassent locis de „ quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat„ Hierosolymam abiverunt, & in omnibus quidem illis Locis, sed imprimis ad Sepulchrum ejus quod præcipuum advenientibus est, ipsum adoraverunt. Et quia per singulas ætates currere longum foret, & perquam arduum opus singulorum nomina recensere, satis sit ad præsens propositum commemorasse, Petrum quoque Venerabilem, si per varia negotia licuisset, eo loci profecturum fuisse (13); unum vero e Decessoribus Tuis, Abbas Amplissime, & profectum fuisse, & Dominum ibi adorasse (14). Istud etiam minime omittendum, Viros Ordinis Vestri primos collocandos fore in eorum numero, qui de Locis sanctis, atque adeo

11. Confer, quæ dixit Campins *Hist. Ecclesiast. Placent. Part. I. Lib. VIII. pag. 260.* Et *ad calcem inter diplomata pag. 513. edit. Ital. Placent. M. DCLI.* Vide item Bruschium *Chronologiæ Monasteriorum Germaniæ præcipuorum pag. 29. edit. Sulzbac. M. DC. LXXXII.*

12. *In illa Epistola, quæ est nomine Paulæ & Eustochii ad Marcellam Ord. XLIV. al. XVII. pag. 550. edit. Martianæi Tom. IV. Operum S. Hieronymi.*

13. Vide, quæ hac de re scribit ad Patriarcham Hierosolymitanum Petrus Venerabilis, cujus litteras infra adduxi *Dissertat. pag. X.*

14. Cum Wissus de Radolina Cracoviensis Antistes XXXII. ad sanctum Domini Sepulchrum religionis ergo proficisceretur, Abbas Tinecensis & duo Ordinis nostri Canonici comites ei fuerunt; qua de re *Simon Starovolscius in Vitis Episcoporum Cracoviensium.*

adeo de Sepulchro Chriſti, cujus potiſſima ratio a ſcribentibus etiam haberi ſolet, commentarios fecerunt: uti Adamannus Abbas Hyenſis, Beda Venerabilis, Anonymus ille & Bernardus ſupra laudati, aliique poſterioris quidem ætatis, ſed optimæ fidei Scriptores. Non longe ab his noſtris temporibus Vir clariſſimus Joannes Mabillonius non ſolum de Ordine Veſtro ſed de univerſa quoque litterarum republica egregie meritus, profeſſus eſt ſe ſtatuiſſe Acta Eccleſiæ ſancti Sepulchri, quæ Hieroſolymis eſt, publicare (15); quod etſi morte præventus exequi non valuerit, effecit tamen, ut hanc ejus ſinceram voluntatem ſemper ſimus pretio habituri. Illud porro alta voce prodam, neceſſe eſt, nos Mabillonio imprimis debere iſtum Petri Venerabilis de laudibus Sepulchri Chriſti Sermonem; niſi enim eum a Cheſnio fruſtra quæſitum reperiſſet, atque inter ſchedas ſuas dereliquiſſet, neque Martenius neque ego poſt ipſum publica luce donandum habuiſſemus (16). Hinc eſt, quod cum a multis retro temporibus tam peculiari eſſetis in Sepulchrum Chriſti religione, nihil ſanctius æquiusve fuit, quam ut Vos & Patriarchæ Hieroſolymorum, & Canonici ejuſdem Sepulchri ſpecialibus quoque officiis proſequerentur. Itaque initio ſeculi duodecimi Arnulphus Patriarcha cum toto ſancti Sepulchri Capitulo litteras ſcripſit Almeo

 Fructu-

15. Confer ejus *Admonitionem in Hiſtoriam Belli Sacri Muſei Italici Tom. I. pag. 131, edit. Lut. Pariſ. M. DCCXXIV.* Hæc ego Acta a Clariſſimo Viro Ludovico Lemerault Bibliothecæ S. Germani Ord. S. Bened. Pariſiis Præfecto benigne mecum communicata vulgare inſtitui.

16. Vide Martenii *Admonitionem in hunc Petri Venerabilis Sermonem*, quam hic adduxi poſt meam Diſſertationem.

Fructuarienſi Abbati ejuſdemque loci Congregationi, quibus gratias agit ob munera per unum ex ipſis tranſmiſſa, iiſdemque propter eximiam eorum ſanctitatis religionem committit Eccleſiam de Commiſago a primo ejus conditore Ambroſio nomine ſancto Sepulchro commiſſam: poſtulat inſuper ipſorum mortuos ſibi renuntiari (17). Nunquam vero majus inter eoſdem Canonicos atque Ordinem Veſtrum neceſſitudinis vinculum arbitror extitiſſe, quam cum Giroldum Abbatem olim Cluniacenſem ſui Patriarchæ munere fungi vidiſſent; qui etiam Hieroſolymis e vivis ſublatus juxta Domini Sepulchrum conditus jacet (18). Sed & in Polonia non deſunt tituli, qui nos Vobis magis magisque obſtrictos efficiant. Cum enim ea tempora ingruiſſent, quibus religioſorum Virorum monaſteria & etiam noſtrum Miechovienſe bonorum jacturam pateretur, optimum factu judicavit Bonifacius IX. Abbati Tinecenſi poteſtatem facere hac de re inquirendi, atque hujusmodi injuriarum auctores pœnis Eccleſiæ compeſcendi (19). At cum alia rurſus ætate inventi fuiſſent, qui Regis animum inflexerint, ut reditus aliquorum monaſteriorum Epiſcopis jungeret, Leo X. de hujuſmodi hominum factionibus a Thoma Præpoſito Miechovienſi certior factus litteris ſuis itidem Tinecenſi & inſuper Sieciechovienſi Abbatibus commiſit, ut eundem Præpo-

17. Adeundus eſt Mabillonius *Tom. V. Annal. Ord. S. Bened. pag. 570. edit. laudat.*

18. Conſule Le Quien *Tom. III. Orientis Chriſtiani colum. 1256. edit. Pariſ. M. DCCXL.* Vbi poſt Raynaldum hæc, quæ de Giroldo dixi, ex Chronico Cluniacenſi MS. accepta refert.

19. Vide noſtrum Samuelem Nakielſki *in Miechovia ſeu Promptuario Antiquitatum Monaſterii Miechovienſis pag. 335. edit. Cracov. M. DCXXXIV.*

Præpositum Pontificia auctoritate freti defenderent, ne quid tale unquam nobis accideret (20). His tandem nostris temporibus posuistis novum monumentum veteris Vestræ in nos propensionis atque in sanctum Christi Sepulchrum venerationis; ubi accepto esse Officium de eodem Sepulchro a Romana, quæ ritibus præfecta est, Congregatione approbatum, idque ut per totum Poloniæ Regnum Magnumque Ducatum Lithvaniæ recitaretur, institistis & etiam obtinuistis, ut pro Polona Vestrum Congregatione juxta ritum Monasticum formaretur probareturque (21).

Quæ cum ita sint, feres, opinor, Abbas Præclarissime, ut hoc Opus Tuo Nomini inscriptum publicetur; quo si non laboris mei, nam hic exiguus est, certe mei imo omnium nostrum erga Te Tuumque Ordinem animi documentum aliquod apud posteros extet. Sed etsi hæc defuissent, adhuc decrevissem Te eidem Operi Patronum quærere; cum facile intelligerem, & patrocinio ei futurum, & decori atque ornamento. Si enim illorum vestigiis erat insistendum mihi, qui Librum

 ali-

20. Consule eundem *pag. 590.*

21. A tempore hominum memoriam excedente solemne fuit Canonicis Ordinis nostri recitare Officium de sancto Christi Sepulchro sub ritu duplici primæ classis cum octava. Qui quidem usus non solum approbatus est an. M. DCCXLII. a sacra, quæ ritibus præfecta est, Congregatione, sed insuper an. M. DCCXLV. desumpta & proposita sunt ex SS. Patribus quæ per octo dies hujus Festi recitarentur, atque etiam approbata. Istud quoque Officium ut singulis annis sub ritu duplici per totum Poloniæ Regnum magnumque Ducatum Lithvaniæ diceretur deque eodem Festo Missa celebraretur, hæc ipsa sacra Congregatio benigne consensit an. M. DCCXLIV.; quæ res studiis Jacobi Radlinski electi Præpositi Generalis Ordinis nostri, Venceslai Muratowicz cum vacaret Præpositura Custodis & Administratoris Generalis, ac Floriani Buydecki Procuratoris Generalis, est adscribenda. Petiit deinde Polona Ordinis S. Benedicti Congregatio, ut hocce Officium juxta ritum monasticum formaretur, facileque obtinuit an. M. DCCLI. preces exponente Dominico Hebdowski Monasterii Lubinensis Procuratore.

aliquem vulgaturi nisi magno cuipiam viro dicandum putant, Tu certe in mentem venire debuisti, cui id officii præstarem, utpote cum quibusque egregiis Viris merito comparandus. Namque & nobilitas generis, & doctrina, & prudentia, & providentia, multæque aliæ animi dotes pulchro quodam nexu in Te sunt; sed quoniam per se perspicuæ cujusquam oratione non egent, neque a me sunt commendandæ. Quippe quod adtinet ad generis nobilitatem, facile mihi persuadeo, Te non delectari, quod proborum omnium sapientumque est, longis illis nominum ordinibus, quibus nimio studio quæsitis plerique paginas implent, frequenter ad pompam, non raro etiam, si errare contigerit, in dedecus ejus, quem laudare instituerunt. Hæc ego iis derelinquens qui de prosapiis ex professo pertractant, illud de Te in omnium ore esse volo, quod in Epitaphio Petri Venerabilis exarari curarunt Cluniacenses (22):

„ Nobilis ille fuit, sed moribus altior omni „.

Quis vero nesciet, & si ego tacuero, Te doctrina integritateque morum valere debuisse, quibus & amplissimam dignitatem consequereris, & gravissimis muneribus fungendis idoneus habereris. Etenim a juventute summis Viris perquam acceptus in aula Principum Radzivilorum tanti æstimabaris, ut dignum censuerint Te negotiis suis præficiendum, quod scirent Te dextere in omnibus agere: hodie etiam apud Magnum Exercitus Lithvani Ducem quanto sis in pretio probe novimus.

22. Habetur istud Epitaphium *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 6. edit. Colon. Agripp.*

mus. Quæ certe dexteritas etiam iis, qui in Ecclesia præcipui sunt, Te omnino carum efficere debuit, quaque procul dubio motus sanctæ recordationis Vilnæ Antistes Pancerzynskius, ut in res graves inquireres, non semel commiserat. Hinc quoque est, quod cum ubique illustrium Virorum sermone celebrareris, necesse fuit ut magna animorum consensione summam Ordinis intra Regnum Poloniæ præfecturam Tibi Tui deferrent Præsidem suum constituentes; quo in munere nulli labori nulli diligentiæ pepercisti, ut antiquum splendorem non solum retineret, sed & magis magisque diffunderet. Cum vero ita munera obires, ut ad nova eaque majora idoneus existimareris, in causa fuit, ut Procuratoris Generalis honore insignitus Romam fueris missus, ubi nomine Congregationis Polonæ ageres; quo iterum munere eximie functus dignus habitus es, quem Benedictus XIV. Pontifex Maximus Archimonasterii Tinecensis Abbatem constitueret. Acceperat namque idem Pontifex sapientissimus quantum in rebus detrimenti istimet Archimonasterio intulerit jam a longo tempore introductus eorum titulorum, qui Commendæ vocantur, usus; & ne magis periclitaretur, Tuam ei personam providit, cujus studio & opera pristinus ipsi decor restitueretur. Quod cum feliciter contigit, omnes, quibus res ordinatæ placent, Tibi dicere jure debuerunt, quæ Petrus Pictaviensis Monachus describens Petri Venerabilis victoriam de Pontio Abbate Romæ reportatam ad eum pronuntiaverat (23): „ Est

23. *In Carmine Panegyrico Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 10. edit. laudat.*

„ Eſt nova cauſa novi divinitus orta triumphi,
„ Quo Tibi Romanum jam favet imperium „.

Hæc porro Pontificis vota quam probe ſis executus, mutata plane hujuſce Archicœnobii atque Templi ipſius facies declarat; nam pene ubique marmora poſita, ædes ſacras refectas, ſacram ſupellectilem auctam, aliam denique Tineciæ majeſtatem atque elegantiam non a referentibus ſolum accepimus, ſed & ipſi etiam vidimus. Raro enim exemplo & præſentibus & qui poſt nos futuri ſunt imitando quartam redituum partem, quæ Templo atque Archicœnobio inſtaurandis exornandisque impendenda foret, ceſſiſti; imo ultra progrediens, etiam de iis quæ commodis vitæ Abbatum ſunt deſtinata, ſumptus ſuppeditaſti, quibus majus Templi altare e marmoribus componeretur. Quam vero egregios Viros & nunquam ſine peculiari laude nominandos eligi curaveris, qui & his attenderent & vice Tua Tuos gubernarent, non eſt opus verbis, cum ipſa facta ſatis ſuperque teſtantur. Id etiam ad cumulum rerum a Te præclare geſtarum accedit, quod cum vetuſtiſſima Deceſſorum Tuorum privilegia noſſes, effeciſti, ut Maximi Cracovienſis Templi Canonicorum Collegio fueris adſcitus, atque ita jus vetus Tibi poſteriſque adſerueris (24); e quorum etiam numero ad ſupremum Regni

24. De hoc privilegio Mathias a Miechow Canonicus Cracovienſis. „ Aaron, *inquit*, natione Gallicus, vir doctrina & ſanctimonia rarus, fuit Abbas primus prædicti Cœnobii in Thynyecz, propter virtutes ejus, per Kazimirum (noverat ſiquidem laudabilem converſationem ipſius in Cluniaco) ad Archiepiſcopatum Cracovienſem promotus. Hujus Aaron ordinatione gradus vivorum tempore quadrageſimali introducti in Eccleſia Cracovienſi dicuntur; hujus etiam conſtitutione & privilegio quilibet Abbas Thynicenſis fit Canonicus natus in Eccleſia Cracovienſi „. Vide illum *Corporis Polonicæ Hiſtoriæ Tom. II. pag. 32. edit. Baſil.* **M. D. XXCII.**

Regni hujus Tribunal Judex fuiſti deputatus. Sunt & alia bene multa, quibus & Ordinem Tuum, & Chriſtianam Rempublicam, & Gentem etiam noſtram illuſtrare pergis hucusque; ſed quia nimis longum eſſet omnia a Te aut inventa aut cœpta aut perfecta deſcribere, illis hanc provinciam relinquendam duxi, qui de laudibus Tuis ex profeſſo ſunt tractaturi. Quæ vero hactenus dixi, ſatis ſunt, ut ex iis quisque intelligat, cui Viro, quo jure, quo animo præſentem Sermonem nuncupaverim. Ergo eum accipe, Abbas Reverendiſſime, non uno titulo Tuum; & cum acceperis, Vulgatorem quoque ipſius, nam Auctor eſt Petrus Venerabilis, Tui ſtudioſiſſimum Tibique fauſta omnia e cælo precantem benigne habeas. Vale quam diutiſſime.

Dabam Cracoviæ kalend. Decembr. M. DCC. LX.

APPROBATIONES.

OPus cui titulus: *Sancti Petri cognomento Venerabilis Abbatis Cluniacenſis IX. Sermo de Laudibus Sepulchri Chriſti*, ab A. R. P. Venceslao Mirkiewicz in Conventu Cracovienſi ad S. Hedvigim diligentiſſimo Profeſſore glorioſiſſime & fundamentaliter illuſtratum & Hiſtoriis Eccleſiaſticis comprobatum cum magna animi mei voluptate legi; quod quia nihil Fidei boniſque moribus repugnat, imo intendit, auget, & prædicat honorem ſacratiſſimi Hieroſolymitani Sepulchri, ideo illud imprimendum eſſe cenſeo, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechovienſi die 14. Octobris Anno Domini 1760.

JACOBVS RADLINSKI
S. Th. D. Ordinis Canonicorum Regularium ſanctiſſimi Hieroſolymitani Sepulchri Præpoſitus Generalis Infulatus.

SErmo *S. Petri cognomento Venerabilis Abbatis Cluniacenſis IX. de Laudibus Sepulchri Chriſti* Diſſertatione A. R. P. Venceslai Mirkiewicz Ord. Canonicorum Regularium Cuſtodum SS. Sepulchri Presbyteri in Conventu ad S. Hedvigim Cracovienſi S. Theologiæ Profeſſoris noviter non minus ſolide quam laborioſe illuſtratus, per me vero lectus & reviſus, cum totus ſit in laudem Loci hujus ſancti in quo Corpus Chriſti conditum erat, ut magis ac magis ſit Sepulchrum ejus glorioſum, do facultatem ut imprimatur. Cracoviæ in Collegio Majori Juridico Univerſitatis Cracovienſis die 12. Novembris 1760.

M. STANISLAVS MAMCZYNSKI
U. J. Doctor & Profeſſor Canonicus Cathedralis Cracovienſis Univerſitatis Cracovienſis Generalis Procancellarius, Judex Surrogatus.

DE SERMONE SANCTI PETRI COGNOMENTO VENERABILIS DE LAVDIBVS SEPVLCHRI CHRISTI DISSERTATIO.

TAnta ſunt, tamque omnibus perſpecta Benedictini Ordinis Virorum in Rempublicam Litterariam merita, ut commendatione non egeant mea, bene vero cunctorum admiratione. Vel una Sancti Mauri Gallicana Congregatio teſtimonio ſit; e qua clariſſima ejus lumina prodierunt, Mabillonius, Montfauconus, Sammarthanus, Ruinartus, Acherius, Martenius, Durandus, aliique, Viri omnigena eruditione celebratiſſimi. Horum ego cum permagna illa volumina monumenta ad Hiſtoriam Ordinis mei ſpectantia perquirens luſtrarem, reperi non ſine animi voluptate in egregio Opere, quod Edmundus Martenius titulo *Theſauri Novi Anecdotorum* donavit (1), Sermonem Petri Venerabilis de laudibus Sepulchri Domini. Neque diu multumque mecum cogitavi quid facto opus foret; imo vero in animum ſtatim in-

1. Prodiit id Opus quinque magnis voluminibus comprehenſum ſtudio hujuſce Martenii & Vrſini Durandi *Lutetiæ Pariſiorum an. M. DCCXVII.*; cujus *Tom. V. colum.* 1419. *& ſeqq.* exſtat laudatus Sermo hactenus a nemine editus.

tim induxi, quamprimum per tempus liceret, eum publici juris iterum facere; ut & iis consulerem qui comparandis hujuscemodi voluminibus pares non sunt, & opus nostris multisque aliis hucusque plane ignotum, publicum redderem; ut quoque de eodem Christi Sepulchro verba facturis adminiculo esset. Res jam pridem perfecta fuisset, nisi Theologicæ disciplinæ, quarum Canonicis Ordinis nostri tradendarum provincia mihi est demandata, tempus omne sibi vindicarent; penitus tamen oblivisci operis animo concepti non potui. Itaque otium nactus, eos scilicet menses quibus Scholæ a studiis vacare solent, nihil reliqui feci, ut, quæ præ manibus ante collecta erant, diligentius relegerem, atque disponerem. His conducebat quieta apud Matthæum Buydecki nuper in Canonica nostra ad S. Heduigem Cracoviæ Domo S. Theologiæ primarium Professorem meumque Collegam, hodie Bytomiensem & Charzeviensem in Silesia Præpositum isto tempore mansio; ubi nihil jucundius habui, quam talibus mentem recreare.

Multa porro sunt, quæ hunc Petri Sermonem commendatum faciunt, Auctoris imprimis sanctitas vitæ, dignitas, non vulgaris scientia, nobilitas generis, ceteraque, quæ in aliis illius ætatis vix reperies. Hinc est, quod Petrus Pictaviensis Monachus eum cum sancto Hugone itidem Cluniacensi Abbate nobilissimo comparare non dubitaverit ita suos alloquens Cluniacenses (2):

„ Plaudite felices, hilarescite Cluniacenses:
„ Redditus est vobis moribus alter Hugo.
„ Nobilis ille fuit, magnisque Parentibus ortus:
„ Hunc quoque præclarum reddit origo Patrum.
„ Ille super cunctos, quos excolit ac veneratur
„ Gallia Lugduni, nobilitate nitet:
„ Hunc Latiæ Gentes Regum de stirpe potentes
„ Arverni populi progenuere Duces.

Est scilicet natus e magna & vetusta prosapia de Monte-Buxerio (3), Mauritii & Raingardis septimus filius

2. In Carmine Panegyrico referente Joan. Mabillonio Tom. V. *Annalium Ordinis S. Benedicti pag. 440. edit. Lut. Paris. an.* M. DCCIII. Vide istud Carmen *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 8. & seqq. edit.* Colon. *Agripp. an.* M. DCXVIII.

3. Gallice *de Montboissier.*

filius; quorum curis adeo probe institutus est, ut deinde in celeberrimo Cluniaci Monasterio vita ad regulam S. Benedicti exacta Abbas ejus nominis primus, in numero aliorum nonus, Ordinis vero Generalis octavus renuntiari dignus evaserit (4). Mirum autem in modum sub ipsius regimine floruit præstantissimus iste Ordo toto fere Christiano orbe propagatus, cum in solo Cluniacensi Monasterio quadringentis circiter Monachis, domibus vero bis mille præfuerit: in quarum trecentis & amplius, pristini vivendi mores ejus opera sunt instaurati (5). Ita porro insigni vitæ probitati eximiam divinarum humanarumque scientiarum cognitionem junxit, ut cognomentum *Venerabilis* propterea sit assequutus (6). Sancti insuper nomine & a Curatoribus Bibliothecæ Cluniacensis, & ab Antonio Possevino donatur (7); quo, vestigiis eorum insistens, ipsum appellare, non solum æquum, sed & necessarium duxi. Sane Martyrologium Monasticum Benedictinum ad VIII Calend. Januarii habet: „ Cluniaci Natalis *Sancti Petri Mauritii* Abbatis, doctrina & sanctitate clarissimi „. Ne vero cuncta Veterum de eo testimonia recenseam, quod ab eruditis Viris abunde jam præstitum

 est

4. Consule Antonium Possevinum *Tom. III. Apparatus Sacri* citatum inter alios de Petro testes a Martino Marrier & Andrea Quercetano *Bibliothecæ Cluniacensis colum. 601. edit. Lut. Paris. an. M. DCXIV.* Et *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 7. edit. Colon. Agripp.*

5. Vide Dionysium Sammarthanum *Galliæ Christianæ Tom. IV. colum. 1117. & 1139. edit. Lut. Paris. an. M. DCCXV.* Flerium *Historiæ Ecclesiasticæ Tom. XV. Lib. LXX. pag. 36. num. XVIII. edit Paris. an. M. DCCXXI.* Sed imprimis *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 2-3.5. edit. Colon. Agripp.*

6. Confer Sammarthanum *Galliæ Christianæ Tom. IV. colum. 1137.* Caveum *Scriptorum Ecclesiasticorum Historiæ Literariæ pag. 574. & seq.* infra a me adducendum. Et ante hos Joan. Trithemium, qui *Lib. II. de Viris illustribus Ord. S. Bened. Cap. CXXIII.* scribit Petrum „ in scripturis sanctis eruditum, & secularis doctrinæ non ignarum, ingenio & „ eloquio clarum, non minus religione & morum integritate, quam scientia venerabilem „. Citatur is inter alios de Petro testes *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 7. edit. Colon. Agripp.*

7. Marrier & Quercetanus jam a me laudati ediderunt Opus sub nomine Bibliothecæ Cluniacensis, in quo SS. PP. Abbatum Cluniacensium vitas, miracula, scripta &c. ex MSS. Codicibus sumpta adferunt, quæ inter *colum. 589.* cum præmisso titulo *Sancti* reperies Vitam Petri Mauritii dicti Venerabilis ex Chronico Cluniacensi datam. Sed & Antonius Possevinus ab ipsis inter ceteros de Petro Venerabili testes *colum. 601.* adductus nomine *Sancti* eum appellat, cujus totum hic describere testimonium placuit. „ Sanctus Petrus. *ait ille Tom. III. Apparatus sacri,* cognomento *Venerabilis*, nobilis Arvernus, „ Abbas Cluniacensis nonus, & Generalis octavus, die octava Assumptionis Beatissimæ „ Virginis renuntiatus an. 1123., postea functus officio Generalatus annos 35. menses 4. „ & dies 4. obiit Cluniaci plenus virtutum scientiæ ac dierum an. 1157. octavo kal. Jan. „

est (8), Cavei duntaxat res a Petro gestas breviter exponentis in medium proferam verba. „ Petrus Mauritius, *inquit ille* (9), gente Gallus, patria Arvernus, „ ex nobili Dominorum de Monte-Buxerio stemmate „ prognatus, Mauricii & Rangardæ filius, postquam mili„ tiæ gloriosam per annos aliquot navarat operam, se„ culo abrenuntiato Monachis Cluniacensibus se adjun„ xit, & post Hugonis junioris mortem anno 1123. die „ Assumptæ in cælum Virginis creatus est Abbas Clu„ niacensis, *Abbas Venerabilis* ob morum gravitatem vul„ go dictus. Primo præfecturæ suæ exordio gravissi„ mas a Pontio Abbate olim Cluniacensi, qui ante tri„ ennium Hierosolymam profecturus munere suo sese „ abdicarat, abdicatum redux repetierat, passus est in„ jurias: verum iis opportuna Pontii mors mox finem „ fecit. Anno 1126. Petri de Bruis dogmata voce & „ scriptis oppugnare cœpit. Anno 1140. Petrum Abai„ lardum apud Cluniacenses fortuito divertentem ab „ erroribus ad saniorem mentem revocavit, & in Mo„ nasterio Cluniacensi senectuti suæ sedes ponere su„ scepta vita monastica persuasit. Anno 1145. ab Eu„ genio Pontifice in Italiam evocatus est, ut Tusciæ ci„ vitates implacabili inter se bello digladiantes invi„ cem conciliaret. Sedulo id quidem conatus est Pe„ trus; verum obstinata Tuscorum pervicacia pia illi„ us studia ludificata est. Anno 1150. ad procuranda „ Ordinis Cluniacensis negotia Romam iter suscepit, in„ genti honore ab Eugenio Papa & Romanis Civibus „ exceptus. Obiit exeunte anno 1156. (10) 8. Cal. Ja„ nuarii „. Hactenus Caveus; qui statim varia ejus Opera recenset, ut ex omnibus his cuique deprehendere lice-

8. Præstiterunt id, uti jam retuli, Marrier & Quercetanus *Bibliothecæ Cluniacensis colum. 601.*

9. *Scriptorum Ecclesiasticorum Historiæ Litterariæ pag. 574. & seq. edit. Genev. an. M. DCCV.*

10. Aliter scribit Possevinus supra in notis laudatus, cum mortem Petri ad an. 1157. refert. Qui de eo etiam non consentiunt, quod Caveus die Assumptæ in cælum Virginis ipsum renuntiatum fuisse Abbatem dicat; hic vero die octava ejusdem Festi. At de his disserere non est mei instituti. Rem facile deprehendet, qui Petri vitam atque Veterum de eo testimonia apud Marrier & Quercetanum examinaverit. Miror autem cur Caveus Operum Petri catalogum texens Sermonis de laudibus Sepulchri Domini non meminerit, cujus & in ejus Vita a laudatis Auctoribus data, & apud Possevinum *Tom. III. Apparatus sacri* mentio fit.

reliceat quis quantusve fuerit Petrus, quamque optime de Republica Christiana simul & Litteraria promeritus (11).

Sed & hic ipse, de quo loquimur, Sermo, magnum præbet de præstante scientia Petri testimonium; ob elegantiam scilicet sui ævo illo rarissimam, sententiarum gravitatem, miram sacræ Scripturæ accommodationem, ut merito Chesnius dixerit (12), hunc & alios ejus Sermones „ valde utiles atque elegantissimos„. Quæ cum in aliis quoque Petri lucubrationibus attentius considerasset Petrus Pictaviensis ipsius Notarius, qui vir illustrissimus doctissimusque nominatur, iis eum „ verbis affatus est (13). „ Jam vero, Vir disertissime, „ non solum mei similes, verumetiam omnes nostri tem„ poris, qui vel valent vel se aliquid valere putant „ in litteris, in vestri comparatione quid sumus? „ Vere ego cum vestra lucidissima, sapientissima, & ar„ gutissima dicta respicio, ac deinde ad mea inepta, pu„ erilia, & insulsa recurro, valde, quod me aliquid un„ quam scire putaverim, erubesco. Et quidem nove„ ram, jam diu est, universis Galliæ nostræ Philosophis, „ his maxime temporibus, quibus ad occasum cuncta „ ruunt, sed & ipsa studia, vestri acumen ingenii præ„ minere. Verum ex quo præfatum codicem vidi, (*lo„ quitur de libello a Petro Venerabili conscripto*), non mo„ do istis, quia parum est, vestram excellentiam præ„ fero; sed & quibusque anteriorum temporum perfectis„ simis eam comparare non dubito. Ita quippe omni„ um liberalium disciplinarum scientiam vos assequutum „ videmus, ut nisi ab illo, per quem dona scientiæ unicu„ ique distribuuntur, cor vestrum occulta inspiratio-

 ne

11. Merito Petrus Pictaviensis Monachus *in Carmine Panegyrico* ipsum alloquens habet:

„ Cum bene Petre tuos aliquis laudaverit actus,
„ Alter Virgilius, ~~alter Homerus~~ erit.

De quo præter citatos hactenus Scriptores consule *Tomum XXII. Bibliothecæ Patrum edit. Lugd.*; cujus *pag. 812. & seqq.* exstat vita Petri, elogia, scripta. Vel *Tomi XII. Partem II. edit. Colon. Agripp.*

12. Vide Martenii Admonitionem præsenti Sermoni præfixam, quam ad finem hujus meæ Dissertationis dedi.

13. Vide Epistolam ejus ad Petrum Venerabilem *Tom. XII. Part. II. B Vet. Patr. pag. 12. & seq. edit. Colon. Agripp.* Insuper *Carmen Panegyricum ibidem*,

„ ne jugiter illuſtrari ſciremus, hominem pene adhuc
„ primævum, &, quod mirabilius eſt, noſtri ſeculi æ-
„ tate, quo funditus intermiſſa & emortua cernimus ſtu-
„ dia litterarum, tanta comprehendere potuiſſe, ultra,
„ quam credi valeat, miraremur. Nam, ut de divinis
„ litteris taceam, quas, utrumque Teſtamentum memo-
„ riter retinendo, in promptu ſemper habetis: quis
„ unquam Plato ſubtilius, quis Ariſtoteles argumento-
„ ſius, quis Cicero pulchrius aut copioſius aliquando
„ quicquam diſſeruit! Quis grammaticus inſtructior,
„ quis rhetoricus ornatior, quis dialecticus fortior, quis
„ arithmeticus numeroſior, quis geometricus regulari-
„ or, quis muſicus cantilenoſior, quis aſtronomus per-
„ ſpicacior exſtitit? Sed & ſi de ſanctis Patribus ali-
„ quid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor
„ fluminum paradiſi, quæ poſt ſanctos Evangeliſtas to-
„ tum orbem irrigant, aliquid ſimile reportaſtis: quia
„ cum Hieronymo velox, cum Auguſtino profuſus,
„ cum Ambroſio profundus, cum Gregorio clarus in-
„ ceditis „. Et hæc quidem de Petro Venerabili Petrus Pictavienſis Monachus; quod ipſum carmine etiam eleganter expreſſit:

„ Vatibus antiquis æquatur acumine mentis:
„ Par illi noſtro tempore nullus erit.
„ In proſa Cicero novus eſt, in carmine Maro:
„ Sicut Ariſtoteles diſputat, aut Socrates.
„ Æquiparat primos, ſuperat cum laude ſecundos,
„ Qui nos eloquiis edocuere ſacris.
„ Vix Auguſtinus ſubtilius abdita cernit:
„ Vix hunc Hieronymus ulla docere poteſt.
„ Nil huic Gregorius clare blandeque loquendo:
„ Nil huic Ambroſius rhetoricando tulit „.

Recte omnino. Quid enim impedimenti eſſe poteſt, ne Petrum Venerabilem Eccleſiæ Patrum catalogo accenſeamus? Illo etenim ſeculo in vivis agebat, quo viri vitæ ſanctimonia atque eruditione potiſſimum ſacra eaque non vulgari conſpicui graviſſimo

ac

ac ſanctiſſimo Patris nomine cohoneſtarentur, cum necdum uſus obtineret S. Theologiæ Magiſtros ſive Doctores appellari. Hanc ob cauſam S. Bernardus adhuc *Patris* nomine *noviſſimi tamen* indicatur; quod poſt ejus tempora alios titulos in Eccleſiam invexerit conſuetudo (14). At Petrus Bernardo coætaneus fuit; quinimo & amicitia junctus, cujus vel epiſtola Bernardi ad Eugenium Pont. Max. pro ipſo ſcripta teſtis ſit. „ Stultum videtur, *inquit Bernardus* (15), ſcribere ad „ vos pro Domino Cluniacenſi, & ei quaſi velle pa- „ trocinium ferre, quem omnes ſibi patronum habere „ deſiderant. Sed ſcribo, etſi non neceſſarie illi, ſatis- „ faciens tamen affectui dico meo, non alterius: ipſo „ enim quia corpore non poſſum, proſequor amicum „ peregrinantem. Quis nos ſeparabit? Nec altitudo al- „ pium, nec nivium frigora, nec longitudo itineris. „ Et nunc præſens ſum, in litteris his aſſiſtens illi. Si- „ ne me poterit eſſe nuſquam . . . . . Honorate virum, „ ut vere honorabile membrum in Chriſti corpore. „ Vas eſt in honorem, ni fallor, plenum gratiæ & veri- „ tatis, refertum plurimis bonis &c. Imo & in laboribus pro Eccleſia ſuſceptis ſocii ſibi exſtiterunt; ambo quippe Petrobruſianos qua voce qua ſcriptis aggreſſi ſunt, atque in præcipuis Orbis Chriſtiani negotiis ut

 conſi-

14. Audiamus Natalem Argonenſem Carthuſiani Inſtituti *De optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo Cap. I. pag. 1. & ſeq.* editionis Latinæ Auguſt. Taurin. M. DCCXLII. „ Graviſſimum ſanctiſſimumque, *inquit*, *Patris* nomen, quo veteres Patriarchæ appella- „ bantur, utpote qui Patres-familias haberentur atque Doctores, ex Veteri Teſtamento „ in Novum translatum eſt. Inſigni hoc titulo eos celebravit Eccleſia, qui primis duo- „ decim ſeculis floruerunt, ſive ab Apoſtolorum temporibus ad Divum uſque Bernar- „ dum, qui *noviſſimus inter Patres* vocatur, non eam quidem ob cauſam, quod defece- „ rint poſt ejus ætatem Doctores, ſed quod una cum Scholaſtica diſputandi methodo „ tunc recens invecta novi etiam tituli a Doctoribus fuerint uſurpati „. Qui quidem tituli adeo in pretio habiti ſunt, ut ſeculo decimoquarto Hugo Luſinianus Cypri Rex S. Petro Thomaſio honores præſtitos recuſanti dixerit: „ Domine Epiſcope, bene „ cognoſcimus vos, ... & ſi non eſſetis Nuntius Papæ, neque Epiſcopus, nihilomi- „ nus quia Magiſter in Theologia eſtis, & propter virtutes veſtras honorare vos vel- „ lemus „. Vide ejus Vitam apud Bollandum *Tom. II. Actorum Sanctorum Menſis Januarii ad diem XXIX. pag. 1002. edit. Antuerp.* Ita res novæ magni æſtimari ſolent; poſtquam vero inveteraverint, etiam contemni.

15. Extat hæc Bernardi Epiſtola *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 6. edit. Colon. Agripp.* Illud etiam peculiare eſt, quod in epitaphio Petri notatum voluerint Cluniacenſes ipſum ætate Bernardi vixiſſe:

„ Tempore Bernardi Clarevalis floruit olim
„ Arvernus patria Petrus venerabilis Abbas „.

Habetur iſtud epitaphium itidem *Tom. XII. Part. II. Biblioth. laudat. pag. 6.*

consilium ferrent, sese invitabant (16). Petro igitur honorificentissimum Patris Ecclesiæ nomen adjudicemus, oportet.

Nunc expendamus, velim, quidnam illum permoverit ad has laudes Dominico Sepulchro faciendas; causam enim exstitisse necesse est. Si tamen rem in ipsis laudibus deprehendere voluerimus, nihil certi statuemus; cum id totum initio Sermonis exposuerit „ non parvum tempus effluxisse, ex quo in lau„ dem divini Sepulchri se effundere ejus animus stu„ deat, & salutarem locum, in quo Salvatoris caro qui„ evit, devotis pro posse præconiis attollere concupi„ scit „. Ceterum si in temporis, quo vitam agebat, conditionem inquiramus, perquam facile erit cognoscere, quod in sancta Hierosolymorum Loca potissimum tamen in Christi Sepulchrum tunc solemni omnibus religione permotus in laudes ejus animum effuderit. Erat illud tempus in Palæstinam peregrinationibus sacrisque expeditionibus adeo frequentatum, ut nulli homines, civitates, nationes, gentes haberentur, quibus carissimum sanctissimumque non esset illuc religionis ergo accedere, & Loca, in quibus Christus constiterat, totque res tamque magnas pro salute gneris humani perfecerat, ex infidelium dominatu eripere. Statim namque ac Vrbanus II. Pontifex Maximus in Synodo apud Clarum Montem Arverniæ oppidum an. M.XCV. celebrata ad sacram istam expeditionem hortatus est, veluti classico excitus Occidens variis in locis ac temporibus collectos ad eam militiam fudit exercitus. „ Novembri mense, *inquit* „ *Willielmus Monachus Malmesburiensis* (17), in quo con„ silium actum fuerat, a singulis in sua disceffum. „ Continuoque fama boni totum dilapsa per orbem „ dulci Christianorum animos infecit aura, qua circumqua-

16. Vide Epistolam S. Bernardi ad ipsum datam *Volum. I. Operum ejus colum.* 329. *edit. Paris. an.* M. DCLXXXX. *curis Joan. Mabillonii.* Caveum *Script. Ecclesiast. Hist. Litterar. pag.* 565. & 574. *edit. Genev.*

17. *De Gestis Regum Anglorum Lib. IV. Cap. II. pag.* 132. Quod Opus exstat *inter Scriptores Rerum Anglicarum post Bedam præcipuos edit. Francofurt. an.* M. DCI.

„ cumquaque ſpirante nulla fuit tam remota gens, tam „ abdita, quæ non ſui partem mitteret. Nam non ſo- „ lum mediterraneas provincias hic amor movit, ſed „ & omnes qui vel in penitiſſimis inſulis, vel in nati- „ onibus barbaris Chriſti nomen audierant. Tunc Wal- „ lenſis venationem ſaltuum, tunc Scotus familiarita- „ tem pulicum, tunc Danus continuationem potuum, „ tunc Noricus cruditatem reliquit piſcium. Deſtitu- „ ebantur agri cultoribus, ædes habitatoribus, totis „ porro migrabatur urbibus. Nullus neceſſitudinum „ amor, affectus patriæ vilis, ſolus Deus præ oculis, „ quicquid in horreis quicquid in tricliniis repoſitum „ reſponſurum erat vel avari votis agricolæ vel the- „ ſaurorum incubatoris, deſeritur, in ſolum Hieroſoly- „ mitanum iter eſuritur. Gaudium erat euntibus, mœ- „ ror remanentibus. Quid dico remanentibus? Vide- „ res maritum cum matrona, cum omni poſtremo fa- „ milia euntem: rideres carpentis impoſitos totos in „ iter tranſferre penates. Auguſtus erat limes tranſeun- „ tibus, arctus trames itinerantibus, ſic ruebant agmina „ ſerie longa trahentia. Opinionem hominum vincebat, „ quamvis æſtimarentur ſexagies centum millia itine- „ rantium. Nunquam procul dubio tot gentes in unam „ coiere ſententiam, nunquam tanta barbaries imperio „ uni & pene nulli cervicoſitatem ſubſtravit ſuam „. Ita Willielmus. Quod certe præ oculis habens Petrus Ve- nerabilis, hoc ipſo Sermone populos ad Sepulchrum Domini concurrentes ejuſque injuriam ulciſcentes ex- poſito imprimis laborum præmio, ita alloquitur (18). „ Quid enim aliud, o gentes ad Sepulchrum ejus veni- „ entes ſperatis? Quid aliud ab ejus Sepulchro referre „ optatis? Quid aliud laboris præmium? Quam aliam pe- „ riculorum mercedem, diverſarum mortium quas ad „ illud euntes aſſidue patimini, curſuſque veſtri quod „ aliud quam iſtud bravium expectatis? Quid plane

18. *Num. XIV. pag. 10.*

„ vos aliud ab ignotis Orientis finibus, a remotis Occi-„ dentis partibus, ab ultimis austri aquilonisque recef-„ sibus ad Sepulchrum quondam hominis mortui con-„ gregat, & tam diversarum terrarum & linguarum tan-„ tos populos ad unius lapideæ speluncæ angustum re-„ ceptaculum coadunat? Quid vos, o Galli Germanique „ populi, quid aliud vos, Daci & Norici barbarie virtu-„ teque feroces, quorum alii terreno, alii marino itinere „ sacrum Locum bellicis sudoribus, fuso cruore, sed præ-„ clara victoria a jugo Persarum & Arabum eruistis? „ Quid aliud, inquam, mercedis pro tantis laboribus su-„ stinuistis „? Sane, si quem alium, nequaquam Petrum latere poterant hujuscemodi expeditiones, vulgo *Viæ S. Sepulchri* appellatæ; is enim & Arverniæ Ducibus, in qua regione jam sua ætate Concilium congregaverat Vrbanus II., prognatus est, & cum propterea ad populos Galliæ Aquitanicæ pertineret, procul dubio ipsos in Palæstinam proficisci conspexerat, qui potissimum, referente Donnizone Presbytero (19), isti sacræ militiæ nomina dederunt.

„ Sexus uterque Deo gliscit parere sereno.
„ Certatim currunt Christi purgare Sepulchrum.
„ Francigenus cunctus populus, de quo fuit ortus
„ Vrbanus Pastor, præsertim pergit eundo „.

Quo certe ipse etiam Petrus religionis ergo abivisset, nisi monasticæ vitæ disciplina prohiberetur; quem animum suum atque in Christi Loca venerationem Patriarchæ Hierosolymitano scribens exponit, unaque rogat, ut ejus totiusque Cluniacensium Congregationis in hisce Locis sanctis aut orans aut officio fungens suo memoriam habere non intermittat. „ Quia, *inquit* (20), Iesu Christi Domini gratia illius vos

19. *In Vita Mathildis Principis Italiæ* apud Godefridum Guilielmum Leibnitium Tom. I. *Rerum Brunsvicensium pag. 673. edit. Hanover. an. M. DCCVII.*

20. Exstat hæc Epistola Tom. *XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 77. edit. Colon. Agripp.* Ceterum non desunt, qui narrent Petrum anno 1120. Hierosolymis Loca sancta adoratum fuisse. Quod etiam ex Historia Ecclesiastica Oderici refert noster Muratovicius Operis *de Gloria sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri Christi Domini pag. 633. edit. Varsav. & Lipsien. an. 1755.* Sed hac de re apud alios idque optimæ notæ Scriptores, in ejus etiam Vita ex Chronio Cluniacensi per Marrier & Quercetanum vulgata altum silentium. Neque dubito eadem re, quam in Epistola ad Patriarcham Hierosolymitanum exponit, monasticæ scilicet vitæ disciplina prohibitum fuisse Petrum, ne tantum iter etiam in minoribus constitutus susciperet.

„ vos Ecclesiæ sacerdotem constituit, a qua Veteris „ Legis & Novæ Gratiæ sacerdotium cœpit, & Salva„ tor ipse singulari sacrificio Deo mundum reconcilians „ sacerdos simul & hostia esse voluit: sicut Ecclesiam, ita „ & ejus Præsulem speciali affectu excolere, speciali re„ verentia honorare, speciali devotione, si facultas da„ retur, ei obsequi opto, ambio, desidero. Nec so„ lus ego, sed quantacunque ubique terrarum diffusa est, „ humilis Cluniacensis Congregatio, hoc idem, ut di„ gnum est, optat, ambit, & desiderat. Quia enim „ æternus sol, longe clarius matutino sole, a vestro „ Oriente nostri Occidentis tenebras illustravit, & a „ Hierusalem in omnes gentes regni æterni Evangeli„ um prædicari voluit: tanti beneficii debito obliga„ mur, ut non solum sublimitati vestræ tantæ sancti„ tatis locis præsidenti verum etiam cuilibet minimo „ obsequenti, ubi possumus, serviamus; eos autem, „ quibus impendere hoc non possumus, singulari, ut „ justum est, affectu excolamus. Nam, quia non datur, „ Ordine monastico prohibente, ut illa, illa, inquam, „ supercælestia redemptionis nostræ loca invisere, o„ sculari, lacrymis infundere corporaliter valeamus, nec „ adorare in loco, ubi steterunt pedes Domini, possu„ mus: quod unum restat, effundimus coram illo cor„ da nostra, vos ejus Vicarium exorantes, ut pro no„ bis omnibus ipsi assistatis, & vices nostras, quod „ communis jubet charitas, suppleatis. Cumque devo„ tione vel officio protrahente vel provocante, salu„ tifera Nativitatis, Sepulturæ, Resurrectionis, Ascen„ sionis, Loca visitatis, spirituali affectu nos vobiscum „ ubique ducite, & pro vestris Cluniacensibus Salva„ tori piissimo supplicate. Hoc ego, hoc singuli, hoc „ omnes pariter supplicamus: &, ut inconvulsam no„ stri memoriam perpetuo habeatis, corpore absentes, „ literis præsentes rogamus „. Quid, quod in eadem epistola illud addiderit, quod ipsius peculiaris erga Sepulchrum Domini cultus magnum est monumentum.

„ Addimus, *pergit*, hoc precibus noſtris, & quo poſſu„ mus niſu deprecamur: quatenus veſtram Cluniacen„ ſemEccleſiam reliquiis Sepulchri Dominici . . . . vi„ ſitetis, ditetis, honoretis „. Imo & de negotiis Terræ ſanctæ ſollicitum fuiſſe Petrum, oportet, ad quem S. Bernardus anno M. CXLVI. litteras dedit invitans ad Carnotenſem Conventum, ubi de auxilio Orientali Eccleſiæ ferendo foret conſultandum (21). „ Gra„ vem nimis, *ſcribit Bernardus ad Petrum*, ac miſerabilem „ Orientalis Eccleſiæ gemitum ad aures veſtras, immo „ ad ipſa etiam penetralia cordis arbitror perveniſſe. „ Dignum quippe eſt, ut ſecundum magnitudinem ve„ ſtram, magnum exhibeatis eidem veſtræ & omnium „ fidelium Matri compaſſionis affectum: præſertim tam „ vehementer afflictæ, tam graviter periclitanti. Di„ gnum, inquam, ut tanto amplius comedat vos zelus „ domus Dei, quanto ampliorem in ea locum ipſo au„ ctore tenetis. Alioquin, ſi duramus viſcera, ſi obdu„ ramus corda, ſi plagam hanc parvipendimus, nec „ dolemus ſuper contritione: ubi noſtra in Deum chari„ tas, ubi dilectio proximorum? . . . . . Hæc vobis tam „ fiducialiter quam familiariter duximus ſuggerenda: ob „ gratiam utique, qua noſtram indignitatem excellentia „ veſtra dignatur. Nam & Patres noſtri, Epiſcopi Fran„ ciæ, una cum Domino Rege & Principibus, tertia Do„ minica poſt Paſcha apud Carnotum venturi ſunt, & de„ verbo hoc tractaturi: ubi utinam mereamur habere præ„ ſentiam veſtram? . . . . Noſtis enim, Pater amantiſſime, „ noſtis, quoniam amicus in neceſſitate probatur. Confi„ dimus autem, quod magnum huic verbo proventum „ præſentia veſtra præſtabit: tum pro auctoritate ſan„ ctæ Cluniacenſis Eccleſiæ, cui Deo diſponente præeſtis; „ tum maxime pro ſapientia & gratia, quam vobis i„ pſe donavit, ad utilitatem utique proximorum, & ſu„ um ipſius honorem &c. Nec vero diſtuliſſet veni„ re Petrus, ſi infirma corporis valetudo, ſi res Ordinis

21. Extat hæc Epiſtola *Volum. I. Operum ejus col. 329. edit. Pariſ.* ſecundis curis Joan. Mabillonii Et *Tom. XII. Part. II. Biblioth. Vet. Patr. pag. 128. edit. Colon. Agripp.* ubi etiam habetur Petri reſponſoria.

nis sui procurandæ obicem ei non posuissent; utpote qui negotii Terræ sanctæ gratia non solum Carnotum sed & Hierosolymam pergere sese paratum profitetur. „ Literæ, *respondet Bernardo*, quas mihi sanctitas „ vestra misit, licet earum materiam prius ex parte „ non ignorarem, moverunt me, & multum, ut di„ gnum erat, moverunt. Quem enim Christianum in „ Christo suo aliquam spem habentem fama tam la„ mentabilis non moveret .... Quem non moveat, ne „ forte terra illa sancta a jugo impiorum tantis patrum „ laboribus tanto Christicolarum sanguine ante non „ multum temporis eruta rursum impiis & blasphemis „ subdatur. ... Non esset vere reputandus inter membra „ corporis Christi, quem ex intimis præcordiorum visce„ ribus non moveret tantum periculum, imo tanta „ clades populi Christiani. Non dico quem non mo„ veret ad compatiendum tantum, quod omnibus le„ ve est; sed ad subveniendum pro viribus, & ad su„ beundum etiam quicquid grave est. .... Inde est, „ quod apud Carnotum cum Domino Rege, & aliis „ Patribus Ecclesiæ, ac regni majoribus, die indicta „ convenire decrevistis, meque sacro illi conventui in„ teresse rogastis. Fateor quod verum est, quia & ex„ cusare adventum meum erubesco, & tamen omni„ no venire non possum. Inter alia enim, quæ obstant, „ in quibus est ab ipso Natali Domini fere continuum „ corporis mei incommodum, inevitabili de causa an„ tequam aliquid de istis scirem in initio pene Qua„ dragesimæ, eadem die qua Conventus indictus est „ apud Carnotum, multos ex Prioribus nostris nuncio „ & literis venire præceperam Cluniacum. .... Rogo „ ergo, & iterum iterumque rogo, ne hoc ægre feratis, vel „ cogitetis me in corde & corde loqui: quod non solum „ loquens vobis caveo, sed etiam semper cavere soleo. „ Non enim tantum usque Carnotum hac tanta de causa „ venirem; sed nec usque ad ipsam, de qua agitur, Hierusa„ lem, si necessitates commissæ mihi Ecclesiæ paterentur, ire

„ ullo modo dubitarem. Si tamen contingeret alio tempore „ Conventum alium vel in veſtris vel in noſtris partibus „ celebrari, niſi rurſum inevitabilis cauſa obſtaret, ſciat „ reverentia veſtra me libentiſſime iturum: & cum „ Conventu, & ſine Conventu tantæ rei auxilium pro „ viribus præbiturum „. Iſtud inſuper de ipſius in ſancta Loca religione nobis eſt documentum, quod recuperatis Latinorum opera Hieroſolymis, indigenæ Monachi ſua ſponte ritus Latinos ſuſceperint, & Cluniacenſi Congregationi ſeſe addixerint; qua de re gratulatoriam eis epiſtolam ſcripſit, quod „ non ſolum „ communi fide, non ſolum monaſtica profeſſione, ſed „ inſuper Cluniacenſis Ordinis ſollicita obſervatione ejus corpori nuper uniti fuiſſent „ (22). Et revera in duobus terræ illius Monaſteriis, altero Montis Thabor, Vallis Joſaphat altero, Cluniacenſium Vitæ inſtitutio ſuis jam temporibus celebris habebatur (23). Ex his vero non conjicere duntaxat, ſed & certo quilibet aſſeverare poterit, quidnam induxerit Petrum ut præſentem Sermonem conficeret.

Reſtat jam examinandum, cui uſui fuerit hujuſcemodi Oratio: vivane etiam voce eam protulerit Petrus, an ſcripto duntaxat reliquerit? Ut enim voce protuliſſe certo affirmem, tempus indicare omnino oportebit; quod cum neque Cheſnius neque Martenius rerum ſui Ordinis longe peritiores aſſequuti fuerint, multo minus aſſequar ego. Ceterum nihil me prohibet, quin conjecturam faciens dicam, Petrum aliqua die memoriæ ſancti Sepulchri ſacra hunc Sermonem ad populum habuiſſe; & id quidem tanto fidentius aſſevero, quanto frequentius legam, homines illius ætatis ejusdem ſancti Sepulchri venerationi ſummopere addictos fuiſſe. Quid enim Hieroſolymis domum regreſſi non egerunt, ut alii in reliquiis ejus ſe-

cum

22. Vide Mabillonium *Tom. V. Annalium Ord. S. Bened. pag. 429. edit. Pariſ.*

23. Confer *Vitam Petri Venerabilis* Tom. XII. Part. II. *Biblioth, Vet. Patr. pag. 5. edit. Colon. Agripp.* Et Sammarthanum *Galliæ Chriſtianæ* Tom. IV. *col. 1139. edit. Pariſ. an. M. DCCXV.* Flevrium *Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. XV. Lib. LXX. pag. 36. num. XVIII. edit. Pariſ. an. M. DCCXXI.*

cum allatis, alii in templis atque aris sub nomine ipsius erectis, fanis ad similitudinem efformatis, sodalitatibus, quæ vulgo Confraternitates vocari solent, institutis, ejusdem perpetuam apud se redderent recordationem? Et quod insignius est, magisque præsenti proposito conducit, diem determinarunt, qua solemniter hujusmodi commemorationi vacarent. En singulare exemplum in Mediolanensi Ecclesia. Hujus quippe Archipræsul Anselmus Litteris suis anno Christi millesimo & centesimo Idibus Julii datis (24) hæc ad posteros transmisit. „ Adunato igitur, *ait*, clericorum populorumque conventu communi consilio omnium ac frequenti hortatu sancitum est a nobis & laudabiliter firmatum: ut unoquoque anno cum gloria & honore celebretur hæc solemnitas in sancti Sepulchri Commemoratione; ita, ut sanctæ Mariæ Cardinales (25) ibi adveniant reverenter cum processione. Qui cum fuerint ad Ecclesiæ introitum, Te Deum laudamus intonent excelsa voce tenentes manus invicem ad signum victoriæ habitæ Jerosolymæ: inter quos etiam accedat Subdiaconus cum lampade accendens luminaria more consueto mane & vespere .... Tunc ante Magistratum præterea sancimus ut octo diebus ante solemnitatem prænarratam & octo postea ita sit pax & tregua per nostrum Comitatum firma, quod omnes, qui ad hanc solemnitatem voluerint accedere, possint securi & sine molestia confluere undique. Quicumqe vero ad illud Sepulchrum, in quo Christi corpus dormivit, aliquo impedimento detentus accedere non poterit: & ad hoc Sepulchrum ad ejus veram similitudinem

24. Epistolam hanc sive potius publicum documentum ex authentico archetypoque exscriptum adduxit Joannes Petrus Puricellus in *singulari Descriptione monumentorum Ambrosianæ Mediolani Basilicæ ac Monasterii hodie Cisterciensis*; quod vide col. 120. *Tom. IV. Part. I. Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ* cœpti cura Joan. Georgii Grævii, ad finem vero perducti per Petrum Burmannum *edit. Lugdun. Batav. an.* M. DCCXXV.

25. Consule Petrum Paulum Boscham Bibliothecarium ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum *de Origine & statu Bibliothecæ Ambrosianæ Lib. I. colum. 7. Tom. IX. Part. VI Thesauri superiore adnotatione laudati;* ubi leges Cardinalium appellatione Templi Majoris Canonicos honestatos quondam fuisse.

„ factum venerit ſana mente & bona intentione, re- „ miſſionem ſuorum tertiæ partis delictorum habeat, „ & ad laudem Jeroſolymitani Sepulchri hoc ſe retu- „ liſſe cognoſcat„. Vides igitur ſtatim ac per Latinos expugnata fuerint Hieroſolyma, inſtitutam apud Italos ſancti Sepulchri diem feſtam; quod pluribus etiam exemplis confirmare facile eſſet, niſi eſſet ſupervacaneum. Id tamen potiori jure de Gallis eſt affirmandum; qua gente nulla alia in ejus adorationem propenſior exſtitit. Sane Arturus Monſtierus ſe in multis Galliæ partibus *Miſſam de Sepulchro Domini*, & quidem in antiquis Libris Miſſalibus vidiſſe teſtatur(26). Quæ, & alia plura cum perſpecta haberem, erat locus conjiciendi, Petrum, quemadmodum alios in aliis, ita hunc in die feſta Sepulchri Domini Sermonem feciſſe.

At Martenius colligit (27) „ illos olim Cluniaci „ in divinis Officiis decantatos fuiſſe „. Non refragor. Quinimo ita hanc ipſius opinionem amplector, ut etiam illuſtrandam ſuſcipiam. Quid etenim officit, ne una eademque Oratio ſemel recitata, aliis rurſus vicibus temporibusque decantetur? Quæ etſi prolixa habeatur, afferretque tædium hoc noſtro ævo non decantantibus ſolum ſed & audientibus; Monachis tamen illis gratiſſima certe fuit, quibus frequens jucundumque erat integras noctes in divinis laudibus tranſigere. Hujus rei aliquot exempla ipſemet Martenius in præclaro illo in Regulam S. Benedicti Commentario produxit. Namque de S. Adone Abbate ex Mabillonio refert (28), quod „ temporius fratres ad „ vigilias nocturnas ſurgere compellebat, ubi & ipſe „ ſolito præſens lectiones & reſponſoria protrahendo „ decantari faciebat, quouſque diei luce appropin- „quante matutinæ laudes agerentur„. De Venerabili quoque

26. *Neuſtriæ piæ*, ſeu Operis *de omnibus & ſingulis Abbatiis & Prioratibus totius Normanniæ pag. 258. edit. Rothomag. an. M. DCLXIII.*
27. In Admonitione huic Sermoni præfixa, quam poſt meam Diſſertationem adduxi.
28. *Pag. 257. edit. Pariſ. an. M. DCXC.*

que Benedicto Abbate Clusensis Monasterii: „ observa„ bat lectiones terminando, processionesque protrahen„ do, ut ad diem usque divinum opus procederet; ne „ quid post matutinas ad lectum revertentibus invida „ hostis fraus surriperet „. Et hæc quidem S. Benedictus servari voluit, qui, uti idem Martenius ait (29), „ Dominicis diebus, nocturnis vigiliis sine ullo interval„ lo jungit matutinos, non quasi Laudes accelerare volu„ isset, & consuetam illarum horarum mutare; sed potius „ nocturnos ad auroram usque produxisse dicendus „. Monet porro idem Clariss. Vir (30) „ nemini durum a„ liquid aut austerum nimis his in vigiliis videri de„ bere consideranti antiquum veterum Monachorum „ fervorem, qui, ut docet Cassianus, Sabbati & Do„ minicæ noctes fere insomnes agebant, si forte duas „ postremas horas excipias, in quibus qualicumque re„ quie corpus reficiebant; quas nec Monacho indul„ gendas esse censebat S. Arsenius, dicens ei sufficе„ re unam horam dormire, modo is pugilis nomen „ mereatur „. Addit deinde, quod rem nostram mirum in modum illustrat „ se hujus rei vestigium aliquod „ in Cluniacensi Monasterio olim advertisse, ubi in die „ natali SS. Petri & Pauli vigiliæ nocturnæ pridie clara „ adhuc die incipiebantur, nec nisi postridie orto jam sole „ absolvebantur „. Non est ergo cur vero simile non existimemus, hunc quoque Sermonem a Cluniacensibus decantatum fuisse, tam longas vigilias ducere novum non habentibus. Quem profecto piissimum morem viri illi regulares, quibus paucas horas in divinas laudes noctu impendere permolestum est, diligentius, velim, considerent, atque saltem in parte imitentur.

Tot igitur titulis commendatus Sermo iterum in publicum prodit, non quidem qualis nuper studio Martenii, sed hac Dissertatione, notisque seu Commentario propediem vulgando adornatus, ne rem jam ab aliis actam rursus agere viderer, unaque laudes Se-

 pul-

29. Itidem *pag.* 257 *Commentarii in Regulam S. Benedicti edit. laudat.*
30. *Hujusce Commentarii pag.* 259.

pulchri Domini prædicaturis copiam fandi porrigerem; ne ſe ea deſtitutos amplius conquerantur. Ut vero & ego res in hocce Sermone contentas melius indicarem, & alii indicatas facilius reperire valerent, numeros ipſi cum Summario atque Indice appoſui.

Si quid autem commodi ex hoc qualicumque labore meo in rempublicam litterarum proficiſcitur, iis Ordinis mei Viris tribuatur, quorum beneficiis ferme ſexennium Romæ agens, hæc, & alia multo plura in præcipuis ejus Bibliothecis, Vaticana, Caſanatenſi, Paſſionea, Corſinia, aliiſque collegi. Illos ego Viros ut in perpetuum grati animi monumentum digno cum elogio commemorem, quæram locum. Foret vero imprimis memorandus, qui hodie ſumma cum laude Ordini meo præeſt, Reverendiſſimus Pater & Dominus Iacobus Radlinſki; ſed cum ſciam id ei grave atque moleſtum futurum, vim non inferam modeſtiæ ſuæ. Faciam tamen, oportet, mentionem Theophili Zaczynſki Canonicæ noſtræ Domus atque Eccleſiæ Prevorſcenſis Præpoſiti, Viri comitate, prudentia, multiſque aliis animi dotibus exornati, deque Ordine meo eximie meriti. Is enim cum Eccleſiæ Vrocimovienſis Præpoſiti munere fungeretur, pro ſuo ſingulari in me meumque Ordinem amore nihil intentati reliquit, ut Romanum iter aggrederer; cujus conſilio, operæ, impenſis, potiſſime eſt adſcribendum. Quamobrem, ſi quis eſt in me hujus tantæ peregrinationis fructus, ejus præcipue beneficio acceptus eſt referendus. Bene animæ ipſius precare, qui legis; & his interim utere. Utere autem eo fine, quem in laudando Domini Sepulchro Petrus Venerabilis ſibi præfixerat; ut ſcilicet in ipſo ſepultum Dominum Redemptorem tuum collaudes. „ Ea cauſa eſt, *inquit* (31), „ laudandi Sepulchrum Domini, ut quicquid de eo di„ citur, ſolum referatur ad honorem ſepulti Domini „. Quæ certe ſanctæ Eccleſiæ intentio eſt; qui etiam meus præſentis Sermonis iterum typis imprimendi ſcopus.

AD-

31. *Serm. Num. IV. pag.* 4.

ADMONITIO.

QVAM CLARISS. VIR EDMVNDVS MARTENIVS SERMONI PETRI VENERABILIS DE LAVDIBVS SEPVLCHRI DOMINI PRÆVIAM DEDIT.

De Petro Mauritii Nono Cluniacensi Abbate, vulgo Venerabili appellato, deque ejus scriptis pluribus agit Andreas Duchesne in Bibliotheca Cluniacensi, in qua opera illius omnia quæcumque reperire potuit, typis mandari curavit. Contexens autem operum illius catalogum, atque inter alia recensens ejus Sermones hæc habet: Item scripsit idem Petrus Sermones quatuor valde utiles & elegantissimos, quorum primus de Transfiguratione Domini est; secundus Sermo de laude Sepulchri Domini est; tertius Sermo de S. Marcello Papa & martyre est; quartus est inscriptus in veneratione quarumlibet reliquiarum. *Ex quatuor hisce Sermonibus unicum de Transfiguratione Domini habes in Bibliotheca Cluniacensi aliis ab Andrea Duchesne frustra quæsitis, reliquos tres publica luce haudquaquam indignos reperimus inter schedas Mabillonii; tertium vero & quartum in veteri codice Cluniacensi Auctoris ætate exarato, in quo lectiones ad nocturnas vigilias recitandæ continentur. Hinc colligimus Sermones illos olim Cluniaci in divinis officiis decantatos fuisse.*

SVMMARIVM SERMONIS.

I. EXponit Petrus Venerabilis se sui muneris officiis hactenus impeditum, tandem data opportunitate, quas animo volvebat laudes, Sepulchro Domini dicere. Quibus quidem intimo amore nascentibus ornandum illud fore, non, quemadmodum hominum sepulchra varii generis lapidum florumque apparatu: ad laudes etiam omnis virtutis cultum adjungendum. Mereri id Locum beatum. II. *Post primi hominis culpam corpora nostra corruptioni obnoxia semper fuisse, primumque & solum e numero filiorum Adæ Christum exstitisse qui eam non senserit. Eundem non solum in corpus sed & in spiritus apud inferos agentes potestatis suæ documenta dedisse. Et hanc esse causam, cur homo gaudio exultare, cur Sepulchrum ipsius peculiari religione habere deberet. Hic enim ad immortalem vitam est reparatus.* III. *Agit deinde, nos venerari quidem nati Domini Præsepe; sed excellentius mortui Sepulchrum: alterum cum altero egregie comparat.* IV. *Hunc porro cultum non ejus merito tribuendum, cujus non sunt capaces res sensu non præditæ: Corpori Christi tribuendum, quo olim a se suscepto est consecratum. Quapropter omnibus aliis locis sanctis sanctius habendum præferendumque. Imo & præ illis laudandum, ea scilicet intentione, ut, qui in ipso fuit sepultus, honoretur.* V. *Sed & cum utero Virginis Dei Matris hic Tumulus sacer confertur, iterumque Præsepi præponitur. Gloria quoque ejus ejusdem Matris gloriæ proxime jungitur.* VI. *Sequuntur sacrorum Vatum testimonia & exempla. Jonæ imprimis signum in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus positi, neque tamen aut mortui, aut quicquam corruptionis passi: quibus nempe & tempus Christi quietis in corde terræ, & ejus corporis integritas, & ad vitam reditus, designabantur.* VII. *Quo quidem nomine cordis non solum totam Promissionis Terram, non solum Hierosolymam, sed & Domini Sepulchrum idque peculiari quadam ratione intelligit Petrus Venerabilis. Provide idem cor seu medium mundi electum, unde salus ad omnes æque perveniret.* VIII. *Probat autem scripturis Hierosolymam medium orbis obtinere.* IX. *Jam vero totam illam terram pene omnium justorum fuisse habitationem, ut ita Conditori ac Reparatori excipiendo digna redderetur.* X. *Hinc divertit homini inculcans, ut, si gratum*

Domino sese exhibere voluerit, vitale sepulchrum evadat, in quo non triduo tantum sed perpetuo maneat ejus sepulti memoria. XI. *Quo facto feliciorem fore lapide illo, in quo aliquando idem Dominus quievit, asseverat; nam hominem æterna præmia manent, lapidem nequaquam. Cur in ipso quieverit, causam esse hujusce hominis vitam immortalem.* XII. *Inde pergit ad Isaiæ oraculum prædicentis Christum in signum populorum positum, quem gentes sint deprecaturæ, cujus Sepulchrum gloriosum futurum sit. Quod quidem signum, eum non alium aliquem esse, atque omnes gentes ipsum deprecari declarat.* XIII. *Tot vero tantosque titulos haberi, quibus gloriosum ejus Sepulchrum ostenditur.* XIV. *Varias gentes ad illud certatim venire æternæ felicitatis assequendæ gratia: nullis periculis imo nec vitæ pepercisse, ut e potestate hominum a vera fide alienorum eriperetur. Ibi non jacere jam mortuum scivisse: tamen quæsivisse locum, ubi aliquando jacuerat.* XV. *Post hæc de singulari miraculo sermonem instituit Petrus, divini scilicet luminis Christi Tumulum illustrantis. Non semel autem id fieri, sed singulis annis; fieri vero ad gloriam ejusdem Tumuli, necnon ad omnes dubitationis tenebras fugandas. Pene omnibus signis fore præferendum, omniumque locum plene supplere, affirmat. Ab innumeris hominum millibus visum atque narratum.* XVI. *Quare comparat illud cum præstante ceteris miraculo hominis nempe a mortuis excitati. Esse vero hunc ignem corporeum solidumque, non fraude aliqua factum, quemadmodum fuerant portenta magorum. Judæis tanquam infidelibus datum fuisse signum de terra, Christum scilicet in corde terræ; fidelibus vero signum de cælo, eundem nempe Christum ad vitam redeuntem atque in cælos ascendentem, & insuper hunc ignem divinum. Neque id causa caruisse.* XVII. *Causam etiam fuisse cur non ad alia loca in quibus Christus constiterat, sed ad solum ejus Sepulchrum fieri consueverit tantum prodigium; idque non alia sed duntaxat Sabbati die, quæ sepulturæ Domini sacra est. Et quamvis juxta regulas Ecclesiæ serius aut maturius hujusce sepulturæ memoria celebretur, miraculum certo adesse. Nullum vero vel in decrepitis senibus reperiri, qui ejusdem signi originem sese ab aliquibus præcedentium accepisse testetur; adeo longa serie seculorum producitur.* XVIII. *Hoc etiam igne indicari Sepulchrum Domini terrenis omnibus locis præponendum; commendari item humilitatem usque in illud sese demittentis: commendari & Christianorum obsequia.* XIX. *Deum, quemadmodum munera Abelis & Caini, sacrificium Eliæ & cultorum Baalis igne discrevit; ita Christianorum & Judæorum aut Ethnicorum vota discernere: illa non hæc probare. Cumque hi præcipue mortuum contemnant, præcipue mortui Sepulchrum suo lumine honorare. Olim apud Bethleem natum stella indice mirabiliter ostendisse; nunc Sepulchrum ejus jam in cælestibus constituti luce a se demissa mirabilius designare. Gentes quoque hoc tanto miraculo sed maxime gratia Christi tractas ad idem Sepulchrum accurrere: nulla terræ marisque pericula vereri; cumque Dominum suum ibi jam non jacere sed in cælis regnare sciant, lapidem in quo jacuit, imo illum in lapide venerari. Osculari etiam sed piis mentibus lapidem istum.* XX. *Etiam die qua mortuus, & loco in quo sepultus est, Christum demonstrasse pro quibus & quare mori sepelirique voluerit. Quiete, quam in Sepulchro habuerat, ipsam animabus suorum providisse. Quem ipsum hic jam Sermoni finem imponens Petrus orat, ut pium præbeat sese ad Sepulchrum suum venientium precibus: eorum quoque qui absentes eum in ipso venerantur; quippe & illi licet remoti bona voluntate ei conjunguntur. Utrosque ait pacem æternam petere, quam Dominus per sacram militiam exercitus cælestis hominibus bonæ voluntatis annuntiaverat, quamque e Sepulchro exsuscitatus ipsemet dicens pax vobis largitus fuerat. Orat deinde, ut, qui in Sepulchro mortuus jacuerit, quique de eo redivivus surrexerit, spiritali affectu mortuos & sepultos secum excitet, donetque perpetua felicitate. Tunc vero, inquit, majorem ejus Sepulchri gloriam futuram, cum ii, qui ipsum in humilitate sepultum religiosis obsequiis sunt prosequuti, non solum in animabus sed in corporibus etiam gloriam immortalitatis assequentur.*

SAN-

SANCTI PETRI
COGNOMENTO VENERABILIS
ABBATIS CLVNIACENSIS IX.
SERMO
DE LAVDIBVS SEPVLCHRI CHRISTI.

COnceptum, ait Scriptura divina (1), ſermonem tenere quis poſſit? Non parvum enim, Fratres cariſſimi, tempus effluxit, ex quo in laudem divini Sepulchri (2) ſe effundere animus ſtudeat, & ſalutarem locum (3), in quo Salvatoris caro quievit, devotis pro poſſe præconiis attollere concupiſcit. Hoc quia commiſſi munus officii hactenus impedivit, adjuvante eo, cujus cauſa agitur, ad ſolvendum tandem diuturni affectus debitum, ut poterit, accingatur. Attollant alii celſis pyramidibus buſta majorum, & ſplendenti marmore operoſisque ſaxis mortuorum ſuorum cineres exornari contendant (4), nos antrum incorruptionis (5), & ſpeluncam, de cujus ſeptis infernus expugnatus eſt (6), usque ad cæli faſtigia de terris elevatum fidelibus obſequiis honoremus. Oſtendant illi erga mortuos ſuos ſculpturis lapidum & picturis parietum animorum ſuorum affectus (7), nos erga Mortuum noſtrum qualem in

A

intimis

1. Vide *Commentarium meum in hunc Sermonem Num.* I.
2. *Eundem Num.* II. & III.
3. *Eundem Num.* IV.
4. *Eundem Num.* V.
5. *Eundem Num.* VIII. & IX.
6. *Eundem Num.* X.
7. *Eundem Num.* VI.

intimis animæ noſtræ geramus amorem, ipſam animam & laudibus & lacry-
mis effundendo monſtremus. Spargant illi ſepulchra corruptione horrentia di-
verſorum generum flore (8), nos Sepulchrum, de quo incorruptio ex vita e-
xorta eſt (9), caſtitatis liliis, humilitatis violis, roſis paſſionum, devotionum
pigmentis, orationum aromatibus aſpergamus. Meretur hoc a nobis, & plus,
quam etiam poſſumus, locus ille beatus (10) meretur; quia qui granum fru-
menti in terra cadens ac mortuum præ cunctis terrarum locis ſuſcipere meruit,
panem nobis vitæ ſempiternæ eo de ſe reſurgente providit.

II. Noverat terra peccante homine a Deo in primordiis ſeculi ma-
ledicta, noverat plane poſt latam mortis ſententiam, qua dictum homini eſt,
Gen. Cap. *terra es & in terram ibis*, ad mortem, ad corruptionem homines ſuſcipere; no-
III. 19. verat ſubſtantiam ex ſe ad immortalitatem & incorruptionem creatam, & ad
ſuam originem propriæ culpæ merito redeuntem, a ſtatu priſtino annullare.
Aperiebat ex ſe ortis & ad ſe per mortem revertentibus ſinum ſuum ad cor-
rumpendum, nusquam ad conſervandum. Aperiebat ſinum ſuum, ut ad co-
gnatam terram terrenus homo videret, nec quicquam in illo de membrorum
lineamentis a Deo creatis vel in modico remaneret. Aperiebat, inquam, ſi-
num ſuum omni carni, non, ſicut dictum eſt, ut conſervaret, ſed, ut putre-
faceret; ut carnium mollitiem, ut oſſium duritiem, ut humoris temperiem,
ut totius demum humani corporis compaginem reſolveret, & ad informem, ex
qua ſumptum fuerat, materiam redire compelleret. At nunc primo de nume-
ro filiorum Adam unum & ſolum inter mortuos univerſos mortuum ſuſcepit,
in quo jus generalis corruptionis periiſſe, & legem omnibus mortuis impoſitam
evanuiſſe mirata eſt. Mirata eſt certe terra ſervare ſe illæſum a corruptionis
miſeria unius tantum hominis corpus; miratus eſt infernus liberum inter mor-
tuorum ſpiritus ſpiritum non ſolum nihil timere, ſed in ipſis & de ipſis ſpiri-
Psal. XCIII. tibus libere omnia agere (11). *Deus* enim *ultionum Dominus, Deus ultionum li-*
1. *bere egit.* Hæc eſt enim, hæc eſt ſumma cauſa, o homo, qua in Chriſto ſalu-
tari tuo exultare, qua Sepulchrum, in quo pro vita tua ipſe mortuus requie-
vit, præcipuo affectu excolere, ſingulari reverentia præ cunctis orbis totius
locis venerari debes (12). Nam benignus Salvator ad te, qui ab ipſo perieras,
inveſtigandum de ſupernis ad ima deſcendens, non ſolum te in terris errantem,
ſed etiam in ſepulchris ſub terra latentem, in ipſis quoque inferis debitas di-
vini contemptus pœnas luentem quæſivit. Quæſivit, inquam, & invenit; &
de hoc Sepulchro mortuorum omnium ſepulchra concutiens, ad immortalem vi-
tam, a qua exciderant, per corpus ſuum corpora mortuorum reparavit, & ſu-
orum animas a tenebrarum locis per beatam animam ſuam ſummæque majeſta-
tis potentiam ad lucem liberam revocavit. Sic te in ſe de ſepulchro reſuſcitans,
de cinere redintegrans, de corruptione reſtaurans, & tanti beneficii largitione
ſepultum ad crucem, & tanti benefactoris reclinatorium Sepulchrum (13)
cæleſti honore dignum eſſe probavit.

III. Honoramus quidem, ut juſtum eſt, Præſepe, in quo Dei Ma-
ter & Virgo natum Deum puerum reclinavit; ſed excellentiori gloria venera-
mur Sepulchrum (14), in quo multis magnisque laboribus perpeſſis poſt cru-
cem & mortem pauſavit. Involvit pannis maternus affectus ſuum & Dei
Filium, dum eum in Præſepe reclinaret; involvit eumdem cum aromatibus in
ſindone munda ſanctorum Joſeph & Nicodemi devotio, dum eum de cruce
depoſi-

8. Conſule *citatum Commentarium meum Num.* VII.
9. *Eundem Num.* IX. & VIII.
10. *Eundem Num.* XI.
11. *Eundem Num.* XII.
12. *Eundem Num.* XIII.
13. *Eundem Num.* XIV.
14. *Eundem Num.* XV. & XVI.

depositum in monumento exciso in lapide sepeliret (15). Magno quidem ille locus dignus est honore, qui cælestem Regem ad hostium prælia de supernis descendentem suscepit; sed majore gloria sublimandus est ille, qui eum jam de hostibus triumphantem excepit. Magno dignus est honore, qui Salvatori mundum salvaturo gremium suum aperuit; sed majore dignus est præconio, qui eidem sinum suum ad quiescendum mundo jam ab eo salvato expandit.

IV. Et novi equidem res insensibiles laudes ex se non mereri; quia sola ratio creaturæ Creatoris voluntati sponte obtemperans laudis gloriam promeretur. Inde vel soli sancti Angeli, vel sancti homines, a conditis laudem, a Conditore merentur gratiam; quia liberum voluntatis arbitrium, quo a Deo averti poterant, ab ipso inspirati ad ejus obsequium converterunt; sed hoc modo, hoc est, suo merito non laudamus Sepulchrum Domini, sed quia electum ad suscipiendum corpus Domini, suscipiens ab ipso sanctificatum est corpore Domini. non solum enim Angelos vel homines Deo placentes sanctos dicimus, sed etiam loca a Deo sanctificata sancta vocamus. Hinc Templum Domini sanctum, hinc Templi sanctiora vocata sunt Sancta Sanctorum. Hinc
de ipsa urbe Jerusalem dictum est, *Tunc assumpsit eum*, id est, Christum, *dia-* Matth. Cap. IV. 5.
bolus in sanctam civitatem. Hinc alibi in sancto Evangelio scriptum est: *Mul-*
ta corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam civitatem. Matth. Cap. XXVII. 52. & seq.
Hinc vasa; quibus Patres antiqui Deo ministrabant, in quibus diversi generis sacrificia offerebant, sancta dicta sunt. Hinc ipsæ vestes Leviticæ & Sacerdotales, sed maxime Pontificales, sanctæ vocatæ loquente Domino ad Moy-
sen: *Facies vestem sanctam Aaron & filiis ejus, ut officio fungantur mihi.* Hinc Exod. Cap. XXVIII. 4.
super omnia hæc altare Dei & arca ejus sancta esse monstrata sunt, ut ipse Ozias ad sacrificandum quidem Deo sed illicite ad altare accedens statim leprosus factus sit; & Ozias etiam pro officio arcam sustentare volens mox a Deo in conspectu omnium interfectus sit. Inde est, quod in hoc tempore, o Christiane, non uni Templo Dei quod solum in mundo erat, sed innumeris Dei templis per totum orbem diffusis, vasis etiam & vestibus sacris, eadem reverentia debetur & defertur; quia idem Deus, qui illud unum Templum, & quæ in eo continebantur, & illi uni genti sufficiens &c. elegerat & sanctificaverat, ipse multa millia templorum necessaria multis millibus populorum, & quæ in his continentur, & eligit, & sanctificat: quod non facit merito aliquo ipsorum locorum, sed causa in se credentium sibique obsequentium populorum. Unde non solum divina colentes, sed insuper loca ubi familiarius divina coluntur & sacramenta saluti hominum necessaria dantur, & suo tempore apud Judæos consecravit, & nostro tempore usque ad finem seculi consecrare non desinit. Unde sicut & ipsa Crux Domini non aliquo suo merito, sed quia in ejus corpore dedicata est, sancta dicitur: ita & Sepulchrum Domini non aliquo suo merito, sed quia ab eodem corpore Christi, quod in eo requievit, consecratum est, sanctum vocatur. Si igitur Templum Dei ad preces Deo fundendas constructum sanctum dictum est, nonne Sepulchrum in se continens Templum Dei, id est Christum, in quo Deus erat mundum re-
concilians sibi, qui de se ipso dicit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus su-* Joan. Cap. II. 19.
scitabo illud, multo magis sanctum est. Si altare Dei cadavera animalium Deo oblata suscipiens sanctum est, nonne Sepulchrum Domini, in quo corpus Agni Dei, qui tollit peccata mundi, Deo oblatum requievit, multo magis sanctum est. Si arca Dei, in qua erat lex Dei & virga Aaron & manna de cælo, sancta dicta est, nonne Sepulchrum Domini continens in se corpus Domini, in quo Verbum Dei, in quo virga æquitatis, in quo panis vitæ æternæ latebat, multo magis sanctum est? Quia ergo Sepulchrum istud Domini, non solum sicut alia sancta loca, sed etiam plus quam illa sanctum est, idcirco

15. Confer & hic Commentarium meum Num. XVII.

majorem omnibus illis ab universis laudem meretur, ut non tantum locus, quan-
tum ipsum sanctificans omnium locorum sanctorum sanctificator Deus a nobis
& ab omnibus glorificetur. Ea igitur causa est laudandi Sepulchrum Domini,
ut quicquid de eo dicitur, solum referatur ad honorem sepulti Domini: unde
non solum templo, non solum arcæ, non solum præsepi Dominico Sepulchrum
Domini præponitur; verum etiam absque ulla exceptione sacris omnibus lo-
cis antefertur.

V. Sed quid locorum salutarium, quem ob Salvatoris meruerunt
gloriam, honorem discernens, Præsepi Domini Sepulchrum Domini præfero?
Altius aliquid aggrediendum est, ut, secundum quamdam similitudinem, Ma-
tris Domini sublimior gloria appareat Sepulchri Domini (16). Præparatus est
ille virginalis uterus per Spiritum Dei ad suscipiendum adventum nascituri
Filii Dei. Præparata est ejusdem sancti Spiritus providentia salutaris Specus
ad conferendum passione laceratum corpus resurrecturi Filii Dei. De illa su-
Matth. Cap. percælesti Virgine Matre & ejus Sponso Justo Joseph scriptum est: *Antequam*
I. 18. *convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, quia nullus ad illud dei-
tatis palatium temerator accesserat, nullus unquam accessurus erat; de isto sa-
lutari Salvatoris hospitio (17) scriptum est, *in quo nondum quisquam positus fu-*
Luc. Cap. *erat*, quia nullius mortui corporis corruptela fœdaverat. De illo ad mortalem
XXIII. 53. vitam mortali adhuc carne amictus tanquam de talamo sponsus Salvator egre-
diens orientalis portæ virginalia sigilla illibata servavit; de isto corruptione
jam in incorruptionem transfusa, morte in victoriam absorpta, corpus suum Se-
pulchro clauso & signato eduxit (18). Istis rationibus magna gloria Præsepis
Domini, major gloria Sepulchri Domini, ipsi gloriæ contigua Matris Domini
esse probatur; & hoc insuper Evangelicis testimoniis & miraculis declaratur.
Dignum enim erat, ut non solum regalis aula virginalis uteri, quæ prima ve-
nienti ad homines Deo congruum domicilium præparavit, & quæ gratia super-
na ac merito singulari ei complacuit, cælestibus miraculis illustraretur; sed etiam
rationis & sensus expertia loca ad suscipiendum Dei Filium humana carne a-
mictum præparata, sublimibus miraculis sacra esse monstrarentur. Video nam-
que Angelum Gabrielem de cælis a Deo missum illi Beatæ Virgini colloquen-
tem, eam inaudito prius venerationis genere salutantem, adventum Spiritus
sancti, conceptum Filii Dei cælesti præconio nuntiantem, & quanto dignus
esset honore ille cælestis Regis talamus indicantem. Video deinde festivum
ac terribilem Angelum cum turbine maximo descendentem, super revolutum
a Monumento Domini lapidem sedentem, custodes impiorum solo sui adven-
tus terrore percellentem, sanctis mulieribus etiam sepulto Domino obsequi
cupientibus eum a mortuis surrexisse, ut prædixerat, nuntiantem. Cerno ad
augmentum stupendi miraculi duos Angelos non jam extra sed intra septa ve-
nerandi Sepulchri residentes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Intueor &
Magdalenam Mariam impatienti Christum amore suspirantem, secundo intus
Joan. Cap. inspicientem, ab eisdem Angelis audientem *Mulier quid ploras?* Audio rur-
XX. 13. sum Angelos non tantum ad gloriam nati Domini, sed etiam ad decus sepulti
Luc. Cap. II. Domini pastoribus loquentes: *Hoc vobis signum, invenietis infantem pannis in-*
12. *volutum & positum in præsepio.* Audio non dissimiliter non solum ad laudem se-
pulti Domini, sed etiam ad decus Sepulchri Domini, Angelum beatis fœminis
dicentem: *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Et statim:
Marc. Cap. *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Videtis, Fratres, nascituri Domini habitaculum
XVI. 6. Virginem, nati Domini diversorium præsepe, sepulti Domini reclinatorium Se-
pulchrum, Angelicis præconiis, cælestibus honoribus insigniri, & hospitis ho-
nore quantum ipsa hospitia humanis hospitiis honorari debeant angelicis offi-
ciis

16. Hic quoque adeundus est *Commentarius meus Num.* XVIII.
17. *Idem Commentarius Num.* XIX.
18. *Idem Num.* XX.

ciis indicari. Magnus quidem & in creaturis excellens honor est Matris Domini, & tamen etsi non componitur, tamen proxime adjungitur honor Sepulchri Domini; sed, sicut supra dictum est, licet magnus esse debeat honor præsepis Domini, ratione tamen & miraculis indicantibus, longe excellentior est gloria Sepulchri Domini.

VI. Hujus gloriæ, ut dictum est, cum Angeli attestentur, Dominus quoque Angelorum adveniat, & ad gloriam Sepulchri sui Prophetarum suorum testimonia & exempla perducat. Judæis enim tentantibus & curiosa malignitate signa quærentibus, quid responderit, audistis: *Generatio*, inquit, *mala & adultera, signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Non dabitur, inquit, eis, nisi signum Jonæ (19). Quod signum? Non enim fuit signum, quia absorptum consumere non potuit: non fuit signum, quia in ventre ejus præda, quam sorbuerat, descendit; sed fuit signum, quia in intestinis innumeris belluæ constitutum virtus superna a corruptione servavit. Non fuit signum, si a vasto piscis corpore minoris corporis Propheta absorptus est; sed fuit signum, quia nec absorptus mortuus est, nec sepultus corruptus est. Hoc ergo signum Jonæ Judæis datum est, quando Christus ab eis impie occisus, a piis hominibus pia voluntate ei obsequentibus in Sepulchro positus est. Datum tum hoc est & concessum fuit impiis Judæis, ut ad implendam mensuram patrum suorum, ex gente hoc iniquitate eorum, post Prophetas quos illi occiderunt, isti Christum; post servos quos illi peremerunt, isti Dominum; post sanctos homines quos illi extinxerunt, isti Sanctum sanctorum, immo ipsum in humana carne apparentem Dominum occiderent: & quia erat mortuus, & egere sepultura videbatur, non obsequendo, sed persequendo sepelirent. Dandum erat hoc signum de terra signa de cælo quærentibus; quia cælestes homines signis cælestibus decorandi, terreni ac terrena sapientes pro impietatibus suis terrenis erant miraculis arguendi. Arguendi, inquam, erant sublimissimo sed de terra facto miraculo (20), ut Christum, quem velut hominem occiderant, velut impotentem in Sepulchro clauserant; sicut Dominum resurgentem, sicut omnipotentem de Sepulchro eo clauso & signato exeuntem, aut confitentes salvarentur, aut negantes punirentur. Non enim, sicut de Jona dictum est, signum fuit, quia Christus mortuus est; sed quia in ejus morte mors omnium extincta est. Non fuit signum, quia sepultus est; sed quia claustris Sepulchri nonnisi triduo retentus est. Non fuit signum, quia Sepulchrum carne mortuus intravit; sed quia de Sepulchro ad immortalem vitam carnem propriam reparavit. Non fuit signum, quod more omnium mortalium mori se ac sepeliri permisit; sed quia contra morem omnium corpus suum, ut dictum est, ad æternam vitam reformans, suos omnes, etiam qui futuri erant, in se de sepulchris propriis eduxit, & ad beatam vitam, quam amiserant, reformavit. Ita vitali Sepulchro suo mortuorum omnium sepulchra vivificans, ea non tantum corruptionis conservatoria, quantum incorruptionis præseminaria esse voluit; quia juxta Apostolum: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

Matth. Cap. XII. 39. & seq.

I. ad Corinth. Cap. XV. 42. & seqq.

VII. Sic erit, ait Christus, filius hominis in corde terræ. erit, inquit, in corde terræ. Convertite animos ad cognoscendum cor terræ, quicumque corda ad intelligendum habetis; convertite, inquam, corda ad cor, & videte sublime latens in isto corde terræ mysterium. videte æternam Dei sapientiam non solum fortiter sed etiam suaviter omnia disponentem, non personas solum humanæ Incarnationi ministras, non modum tantum eidem re-

19. Consule *citatum Commentarium Num.* XXI.
20. *Eundem Num.* XXII.

ſtaurationi congruum elegiſſe, ſed etiam loca humani generis ſaluti aptiora ante ſecula providiſſe. Poterat quidem omnipotens Auctor ſalutis hujus ad operandum hoc opus ſuum ultimos receſſus indicere: extremos fines Galliæ, meridiei torrida, aquilonis gelida, vel quælibet alia ſpatioſi orbis loca eligere; ſed quia fructus ſalutis hujus ad omnes æqualiter pertinebat, nec ſalvare mundi partem ſed totum ſimul mundum diſpoſuerat; maluit non in angulo orbis, ſed in medio orbis: non in parte terrarum, ſed in medio terrarum æquis velut ſpatiis contiguo redemptionis opera exercere. Commune enim opus communem locum exigebat; ne ſi in remota aliqua terrarum parte fieret, tardius ad ſalutem ſuam qui eſſet remotior perveniret, tardius etiam ipſa ad longe poſitos ſe diffunderet: nec tam facile ſonus ejus in omnem terram exiret; ſed electus eſt medius & communis locus in orbe terrarum ad diffundendam communiter & feſtinanter ſalutem orbi terrarum: & ut nemo ſibi vindicaret ut proprium, quod erat abſque ulla exceptione generaliter univerſorum. Hic eſt plane medius ille orbis locus, quem Salvator cor terræ nominat, & in quo ſe requieturum ad inſtar Jonæ Prophetæ requie triduana declarat. Illud certe, illud Redemptoris Sepulchrum proprie cor terræ, id eſt, medius mundi locus vocatur; licet & ipſa urbs Jeruſalem, immo tota illa quæ promiſſionis terra dicebatur, intelligi congruenter iſto cordis nomine poſſit (21). Nam ſicut cor humanum, vel cujuslibet animalis medium corporis . . . cui in terra illa, in qua Patres antiqui fidei Chriſtianæ converſati ſunt, in medio circumpoſita mundi loco conſtituta videtur. Unde univerſaliter tota illa terra Patrum ſanctorum, ſpecialiter ipſa urbs Jeroſolyma in qua ſunt Sancta ſanctorum, ſpecialiter vero Sepulchrum Domini cordis terræ nomine deſignatur, in quo requievit Sanctus Sanctorum. Quia vero ab ipſa urbe Jeruſalem diſſeminandum erat in omnes gentes Evangelium regni cælorum, & ille affuit, qui
Iſa. Cap. II. 3. ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*; & ipſe in Evangelio
Luc. Cap. poſt reſurrectionem ſuam indicat Rex cælorum: *Quoniam*, inquit, *ſicut ſcri-*
XXIV. 46. *ptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis die tertia: & prædi-*
& ſeq. *care in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma.*

VIII. Sed unde probatur Jeroſolymam vel Jeruſalem medium obtinere locum in univerſo orbe terrarum? Poſſet equidem ſuffragari nobis in hac parte, etiam ea, quæ vocatur philoſophica ratio; ſed non indiget fulciri ratione humana ea aſſertio, quæ roboratur auctoritate divina; quæ ut absque nubilo cognoſcatur, adveniat clarum Prophetæ Ezechielis teſtimonium, quo Spiritus Dei de jam dicta Jeruſalem loquens, vera eſſe, quæ dicimus, appro-
Ezech. Cap. bavit. *Iſta eſt*, ait, *Jeruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu ejus ter-*
V. 5. *ras*: de quo medio & maxime in Prophetis David nihil ſacramentorum ſa-
Pſal. lutarium more ſuo intemperatum relinquere volens, *Deus*, ait, *rex noſter ante*
LXXIII. 12. *ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Non, inquit, in angulo orbis, non in qualibet parte terrarum, ſed in medio terræ Deus noſter & rex operatus eſt ſalutem. Et quidem in omni parte tam proxima, quam remota, operatur Deus noſter & rex ſeculorum ſalutes; quia in omni loco & in omni tempore ſecundum decreta æterni conſilii ſui homines & jumenta ſalvat; ſed tempore ante ſecula ad hoc præordinato, in hoc, de quo agitur, medio terræ operatus eſt non particularem ſed univerſalem ſalutem ille, qui mandat ſalutes Jacob. De Jacob enim ait vero, non per philoſophiam, licet fallere volentis Balaam, erit qui damnabitur. Videte ergo, cariſſimi; vos, inquam, ſacrarum rerum ſtudioſi; vos, qui meditationi divinæ intenditis; vos, qui verbo Dei aſſiduam operam datis; quorum cibus & victus non adeo eſt panis terrenus, quan-
Pſal. tum ille de quo Scriptura prophetica: *Panem angelorum manducavit homo*; &
LXXVI. 25. de quo Salvator ipſe: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.*
Joan. Cap.
VI. 41.

IX. Videte

21. Et hic confer *Commentarium meum* Num. XXIII.

IX. Videte & scrutemini Scripturas, in quibus, non sicut Judæi maligni putatis, sed sicut benigni Christiani pro certo agnoscitis vos vitam æternam habere. Videte, qualiter pene omnes justi, quibus paginæ sacræ justitiæ testimonium reddunt, hanc, de qua sermo est, terram, in medio, ut dictum est, terrarum omnium constitutam; ipsam, inquam, non aliam incoluerunt (22). Oportebat enim, ut per quinque millia annorum mundo in maligno posito, atque a principe tenebrarum occupato, terra illa, in qua Dei Filius nasciturus pro salute seculi erat, non ab impiis Dominum contemnentibus, sed a piis colentibus incoleretur; & sic cultu divino sanctificata, justitiæ operibus ab injustorum actibus segregata, itaque ab immundorum sordibus emundata Conditoris ac Reparatoris adventui idonea exhiberetur. Unde eam, ut dictum est, ab initio usque ad Christum justi pene omnes incoluerunt, & quod aliquid factum & magnum, singulare & insolitum Rector seculorum de ipsa vel in ipsa quandoque vellet facere, continua sui inhabitatione innuerunt. Inde ipsius primi Parentis omnium Adæ de paradiso expulsi, ubi per tanta, quibus vixit, tempora conversatio fuerit, in canone non legitur; sepultura tamen mortui ubi fuerit, non tacetur. Loquens vero Scriptura de civitate Ebron, quæ prius Arbe dicebatur, nunc autem alio vocabulo nuncupatur, ait: *Ibi Adam maximus inter Enachim situs est* (23). forsitan erubescis? Jos. Cap. XIV. 15.

X. Si vis ergo aliquid retribuere sepulto Domino, quia pro te jacuit mortuus in Sepulchro, esto & tu sepulchrum ejus; ut & in te non tantum triduo, sed perpetuo maneat & vigeat memoria ejus. Absconditus apud te in fide firma, charitate perfecta, lateat Jesus Christus; qui licet, sicut tunc in Sepulchro positus, non appareat conspectibus humanis, pateat tamen manens apud te conspectibus divinis. Sit vita tua, juxta Apostolum, abscondita cum ipso Christo in Deo; ut, cum ipse vita tua apparuerit, tunc & tu appareas cum ipso in gloria. Assumat anima tua personam speciem & amorem sponsæ illius formosæ, quæ in Cantico amoris vulneratæ charitatis verba deprimens loquitur: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Cap. II. 16. Dilectus, inquit, meus mihi, nec alteri; quia Dei Filius non cælo & terræ, non soli & lunæ, non Angelis ipsis nec cuilibet creaturæ, sed mihi homo factus, mihi passus, mihi mortuus, mihi sepultus est, mihi resurrexit, mihi ascendit; mihi in hoc seculo passionem in imitatione, in alio vitam in resurrectione: ascensum ad cælos in sua ascensione, regnum in suo regno præparavit. Ego autem illi; id est, in illum solum non in alium sperando; illum non alium vel aliud amando; ejus in omnibus mandatis obediendo; totam meam substantiam, quam creavit, ejus obsequiis impendendo; pro illo etiam, si causa vel tempus se obtulerint, moriendo: qui pascitur inter lilia; quia dilectus meus, cui cuncta bona placent, inter universa quæ placent, singulariter delectatur pudicitia, delectatur purificata conscientia, delectatur sequestrata a sordibus immundorum actuum vita. Filius enim Virginis & Agnus sine macula est, & idcirco non potest habitare in corpore subdito peccatis; quia, ut de Spiritu ejus legitur, effugit fictum, & aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripitur a superveniente iniquitate. Loquere & cum eadem sponsa in eodem cantico: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cap. I. 12. Licet enim dulcis sit & omnem dulcedinem superans dilectus meus, licet abscondat magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se; tamen ne seculo oblecter, ne voluptate hujus vitæ pertrahar, ne forte peccata peccatis addendo ne eis putrescam, ne malæ insuper opinionis fœtorem multiplicatis malis in proximos vel remotos diffundam, erit mihi myrrha amaritudinis dilectus meus; ut timoris ejus & amoris recordatione a malorum putredine incorruptum conservet; ut delectationem noxiam vi sua removeat, & ab omni inordinato amore carnem, ab omni super-

 fluo

22. Vide quæ ad hunc locum dixi *in Commentario meo Num.* XXIV.
23. *In eodem Num.* XXV.

ſuo affectu animam illibatam cuſtodiat. Et quia ſecundum divinam ſententiam, non parva ſed magna eſt humana malitia, & juxta Apoſtolicum verbum, ubi abundat iniquitas, refrigeſcet charitas; non parva quantitas myrrhæ, ſed faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi factus eſt: quia multa gratia ejus contra multam malitiam, multa timoris ejus amaritudo contra multam carnis & ſanguinis intemperiem, multa ejus virtus contra tanta vitia mihi neceſſaria eſt; qui inter ubera mea commorabitur: quia a memoria pectoris vel cordis mei, quod inter ubera etiam in corpore meo medium ſibi locum vindicat, nullo unquam tempore ſeparabitur. Imitabor & in hoc Sepulchrum ejus, quod velut in medio terræ poſitum continuit corpus ejus, retinendo in corde meo, quod quaſi inter ubera mea medium eſt, perpetuam memoriam ejus. Sic a me ſpiritualiter & firmiter ſemper retentus, & velut in Sepulchro ſepultus, inter ubera commorabitur mea; mecum ſemper verſabitur: nullo unquam a me, ut dixi, tempore ſeparabitur. Vere non ſeparabitur ullo tempore; quia ſpretis rebus omnibus aliis & abjectis, Jeſus mihi vita, Jeſus mihi victus, Jeſus mihi requies, Jeſus mihi gaudium, Jeſus mihi patria, Jeſus mihi gloria, Jeſus mihi omnia erit: quantum potero hic per ſpiritum & amorem, quouſque poſſim illic, ubi permittitur eum contemplari facie ad faciem: hoc modo ſi in te ipſum ſuſceperis, ſi ei talem in morte tua quietem paraveris; non mortale ſed vitale, id eſt, vitam continens ejus ſepulchrum efficieris.

XI. Hoc exemplum Sepulchri Domini ſano in te intellectu refundens felicius eo lapide Chriſto requiem præparabis, feliciorem etiam ſuſcepti Chriſti exitum promerebis. Nam lapis ille, in quo Salvator corpore requievit, nullam aliquando mercedem accipiet (24). Te autem, ſi modo, quo dixi, in te Chriſtum ſepelieris, paradiſus accipiet. non ille gratiam, quia non habet meritum; tu gratia & merito obtinere poteris regnum cælorum. Subſtantia illius lapidis in nihilum quandoque redigetur; ſubſtantia corporis tui etſi ad tempus annullari videatur, communis tamen reſurrectionis tempore in integrum reparabitur. Non enim propter aliquam utilitatem ejus Creator omnium & Salvator ſuorum in ſaxo inſenſibili per carnem pauſare diſpoſuit; ſed propter æternam ſalutem tuam in eo ad tempus requieſcere voluit. Cujus requietionis ea ſola & tota cauſa fuit; ut ſicut ipſe poſt innumeras paſſiones & crucis mortem jam non patitur, jam non moritur, nec paſſio nec mors ei unquam deinceps dominabitur: ita & tu, poſtquam ejus vitale ſepulchrum fueris, & eum modo quo dictum eſt, dum vivis, continueris, miſera hac vita exacta jam non patiaris, jam non moriaris; nec in ſepulchrum illud lapideum in fruſta vel nihilum redigaris; ſed de putredine, vel de cinere, vel de nihilo reparatus, ad æternam reſurrectionem immortalis jam & beatus cum Chriſto reformeris.

XII. Sed quid nobis ſalvatricis Speluncæ arcana admirantibus, & de Evangelicis Apoſtolicis & etiam Propheticis libris ad ejus gloriam teſtimonia proferentibus, tu, maxime Prophetarum, tam diu, Iſaia, taces? dic, non ultra reticeas; ſed, ſicut Salvatoris gloriæ in omnibus famularis, ita ſacri Sepulchri ejus gloriam, ſicut Spiritus ejus te docuit, manifeſta: ſicut enim nos de virga & flore, de Virgine & ejus partu, de Chriſto & ejus paſſione, de Judæorum reprobatione & gentium vocatione: ſicut, inquam, nos de iſtis & omnibus Fidei noſtræ myſteriis docuiſti, ſic de magnificentia Sepulchri Domi-
Cap. XI. 10. ni quid ſentire debeamus, inſinua. *In illa die*, inquit Iſaias, *radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, & ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum ejus glorioſum* (25). Audite populi univerſi, audite gentes diffuſæ in orbe terrarum, attendite linguæ & nationes diverſæ: quæ vos poſthabitas putatis, quæ contemptu hucuſque dignas exiſtimaſtis; attendite, & gaudete non oblitum veſtri

veſtrum

24. Confer & ad hunc locum *Commentarium meum Num.* XXVI.
25. *Eundem Num.* XXVII.

veſtrum Creatorem in ira ſua miſericordias ſuas nequaquam ultra continere volentem, & non ſolum illis parvi numeri Judæos ſed & veſtræ multitudinis infinitatem ſalvare miſericorditer jam volentem. Audite divinum Prophetam, immo præcipuum in Prophetis ad vos ante multa ſecula propheticum oculum convertentem. Videte Spiritum Dei, qui ubi vult ſpirat, eum inſpirantem, & veſtram ſalutem per Salvatorem implendam ante non pauca, ut dixi, tempora prædicentem. *In illa*, ait, *die radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum*: & quidem radix Jeſſe. Antequam hæc prophetia proferretur, fuit David, fuit Salomon, fuit Roboam, fuit Abia, & reliqui. Poſtquam autem prolata eſt, fuit Joſias, fuit Joachim, fuit Zorobabel, fuit Salathiel, & usque ad Chriſtum plurimi; nullus tamen eorum in ſignum populorum poſitus eſt, donec oriretur ille de eadem radice Jeſſe, qui in ſignum omnium populorum poſitus eſt. Hunc enim, ſicut ipſe loquitur, pater ſignavit Deus: ſignavit utique, ut eſſet in ſignum; ſed ad quod ſignum ſignavit eum? ut ſcilicet in altiſſimum Crucis ſignum more ſerpentis ænei elevatus, in medio caſtrorum non Judaici tantum populi ſed totius mundi ſublimiter exaltatus, omnium oculos ad ſe converteret, omnium animos ad ſe traheret; in morte ſua quam in Cruce pertulit, totam omnes ſpem ſuam ponere admoneret; & ſanando omnes infirmitates eorum, remittendo omnia peccata eorum, aperiendo etiam univerſis diu clauſa regna cælorum, ſecundum prophetiam magni Patriarchæ Jacob ſe eſſe eum qui mittendus erat, ſe eſſe eum qui expectatio gentium dictus fuerat, demonſtraret. Hoc enim ſignum levavit ipſe in nationes, ut congregaret profugos Iſrael, & diſperſos Juda colligeret a quatuor ventis. *Ipſum*, ait, *gentes deprecabuntur*. quid hoc verbo clarius? quid hoc ſermone lucidius? quid hac prophetia manifeſtius? quid expectatis eam, o gentes, ut obſcuram exponi, cum nec ab ipſis cæcis ubilibet per totum orbem conſtitutis non poſſit non videri? Nonne vos ipſi, qui ab omnibus veteris Teſtamenti Prophetis gentes vocati eſtis, Jeſum Chriſtum radicem Jeſſe in ſignum ſublime vobis poſitum aſſidue deprecamini? quamvis enim vobis a Deo electis paucitas Judæorum nimiis impietatibus & exoſa facta repulſa ſit; quamvis aliqua pars veſtri, quia gratiam Dei quam ſuſceperant abjecerunt, a nequam Mahumet ſeduci permiſſa reprobata ſit: vos tamen, vos, aut in libertate, aut ſub corporali infidelium ſervitute, quod nihil veſtræ ſaluti æternæ obeſt, per univerſum orbem diffuſi Redemptorem veſtrum ubique in ſignum ſalutis levatum attendentes deprecamini, & impletam in vobis magni Prophetæ Iſaiæ prophetiam lætamini; lætamini, inquam, tam felicis præconii in vobis prophetiam impletam. exultate & magnum David Regem & Prophetam ſuo illum teſtimonio confirmantem, atque ſpiritu Deo loquentem. *Omnes*, ait, *gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine*; ſed quaſcumque feciſti. Sed quare dixit, quaſcumque feciſti? Nonne omnes terrarum populos vel gentes ipſe fecit? Nonne dicit alio in loco Scriptura ſancta: *Tu enim feciſti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur?* Sicut enim nullus alius creator omnium gentium eſt, ſic nullus alius ſalvator omnium gentium eſſe poteſt. In omnibus ergo gentibus, quas ille fecit, vos eſtis. Idcirco eum deprecamini; idcirco in nomine ejus genuflectitis; idcirco eum non ſolum oratis, ſed etiam ut Deum, ut auctorem naturæ veſtræ & reparatorem ſalutis veſtræ adoratis: & eum, hæc faciendo, nomine & re Jeſum, id eſt, Salvatorem veſtrum & omnium eſſe probatis.

Pſal. LXXXV. 9.

Eſth. Cap. XIII. 10.

XIII. *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum.* Iſtius, qui radix Jeſſe dicitur; iſtius, qui in ſignum populorum ponitur; iſtius, quem gentes deprecaturæ ſcribuntur: iſtius, inquit, Sepulchrum erit glorioſum. Audite, amatores gloriæ mundanæ; audite, qui in umbris fugacibus, in floribus marcentibus, in ventis inanibus gloriari ſoletis. Audite, qui gloriam veſtram in fragili potentia, in labili pecunia, in caduca ſuperbia ponere conſuetis. Videte, omnem

omnem hanc gloriam vestram ad Sepulchrum hominis mortui transferri, & illud omni humanæ voluntati vel jactantiæ anteferri. Sic enim Christus Dominus perversitatem mundi regula justitiæ castigavit; ut, quod ipsi pro magno habebant, ipse vile & abjectum contemnendo monstraret; & quæ ipsi ut vilia conculcabant, ut horrenda fugiebant, ipse ea patiendo perferenda ac præferenda his esse omnibus judicaret. Ideo superbiam, ideo divitias, ideo reliqua omnia, quæ in mundo amantur, contempsit. Ideo vitam ipsam carnalem, pro qua conservanda omnes inquantum possunt laborant, neglexit. Ideo mortem suam illi præposuit; ideo in Sepulchro, quod omnes prout possunt fugiunt, voluntarius requievit. Unde & de eo gloriosa opera tam in cælis quam in inferno faciendo, gloriosum esse debere ostendit. Gloriosum de eo inferos spoliando, gloriosum de eo cælestia referando, gloriosum de eo mortem destruendo, gloriosum de eo immortaliter resurgendo, gloriosum de eo ad vitam immortalem per suam resurrectionem mortales homines reformando; gloriosum insuper ad ipsum Sepulchrum suum orbis terrarum populos convocando, convocatos suscipiendo, susceptos justificando, justificatos salvando; & in salutem eorum, quos ad mortem peccatorum & inferi liberat, quos ad justitiæ & felicitatis æternæ vitam resuscitat, se mortis ac vitæ Dominum comprobando.

XIV. Quid enim aliud, o gentes ad Sepulchrum ejus venientes, speratis (26)? Quid aliud ab ejus Sepulchro referre optatis? Quid aliud laboris præmium? Quam aliam periculorum mercedem, diversarum mortium quas ad illud euntes assidue patimini, cursusque vestri quod aliud quam istud bravium expectatis? Quid plane vos aliud ab ignotis orientis finibus, a remotis occidentis partibus, ab ultimis austri aquilonisque recessibus ad Sepulchrum quondam hominis mortui congregat, & tam diversarum terrarum & linguarum tantos populos ad unius lapideæ Speluncæ angustum receptaculum coadunat? Quid vos, o Galli Germanique populi, quid aliud vos Daci & Norici barbarie virtuteque feroces; quorum alii terreno, alii marino itinere sacrum locum bellicis sudoribus, fuso cruore, sed præclara victoria a jugo Persarum & Arabum eruistis (27)? Quid aliud, inquam, mercedis pro tantis laboribus sustinuistis? Quærebatis Sepulchrum, sed non in eo, sicut olim bonæ mulieres vel Apostoli, quærebatis sepultum. Noveratis mortuum illum, qui olim in eo quieverat, in cælis residere; noveratis eum jam non de illo Sepulchro, sed de sede majestatis divinæ angelis & hominibus imperare; noveratis non jam mortuum, sed viventem: non jam Judæis vel Romanis subjectum, sed sibi omnia deitatis potentia subjicientem. Noveratis non jam Sepulchro vel inferno teneri, sed de locis cælestibus toti terræ ipsique inferno dominari. Quoniam vos non latere poterat in nomine Jesu omne genu flecti, cælestium, terrestrium, & infernorum; omnemque linguam debere confiteri, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris; nec esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri. Ista omnia scientes, ad Sepulchrum Dei & Domini nostri & Creatoris & Redemptoris vestri, non ut hostes, sed ut creatura, ut servi, ut redempti venistis; piis gladiis ab impiorum sordibus cælestis munditiæ locum & habitaculum expurgastis; & ne ultra nequam servi dilectis filiis veniendi ad Patris tumulum aditum possent intercludere, providistis. Sic faciendo, sic Sepulchro Salvatoris nostri, o salvatæ gentes, animas vestras, animas efferendo, vestra corpora immolando, nullatenus quidem aliquid dignum pro tantis ab eo vobis impensis beneficiis retribuistis; sed tamen, si facultas data esset, vos velle retribuere designastis: impletam in vobis istis operibus solemnem Prophetæ Isaiæ prophetiam monstrastis,

26. Videndus est *Commentarius meus Num.* XXVIII.
27. *Idem Num.* XXIX.

ſtraſtis, qua ante multa ſecula de vobis ſollicitus Deus, & ſalutis veſtræ, quam ipſi apud ſe ab æterno abſconderat, præſcius, per jam dictum Prophetam ait: *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, in Lydiam tendentes ſagittas: Italiam & Græciam, ad inſulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. & anuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres meos de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum Jeruſalem, dicit Dominus.* Quod licet in fide Chriſtiana a vobis & a patribus veſtris per Apoſtolicum miniſterium ſuſceptum impletum ſit; tamen multo magis impletum eſt, quando amore Chriſti Domini & Dei veſtri glorioſum ejus Sepulchrum per vos a perfidorum dominio liberatum eſt. in quo veſtræ devotionis fructuoſo affectu, quia Sepulchrum Domini vitæ veſtræ præpoſuiſtis, quia pro eo infortuniis univerſis vos expoſuiſtis, quia nulla pro eo pericula expaviſtis (28), quia pro eo horrenda ſupplicia ipſamque mortem conſtantiſſime contempſiſtis, quia omnem veſtram mundique gloriam ejus gloriæ ſubjeciſtis. in his ſane omnibus, ſecundum præmiſſæ prophetiæ tenorem quæ dixerat: Erit Sepulchrum ejus, ideſt Chriſti, glorioſum, glorioſum illud eſſe ſuper omnia terrenæ habitationis loca declaraſtis. Iſa. Cap. LXVI. 19. & ſeq.

XV. Sed quid ego quaſi ſolam hominis gloriam ad glorificandum Sepulchri Domini locum propono; cum, ſicut Salvator de ſe ipſo dicit: *Ego habeo teſtimonium majus Joanne,* nos de gloria Sepulchri Domini habere poſſimus teſtimonium majus omni homine? Majus plane omni homine teſtimonium eſt, quod non de terris, ſed de cælis eſt. Majus omni homine teſtimonium eſt, quod non ab homine, ſed a ſolo Deo eſt. Majus omni homine teſtimonium eſt, quod non de imis locis natum eſt, ſed de ſupernis locis exortum eſt. Accedite huc, cum quibus mihi ſermo eſt, omnes populi terrarum, & ad gloriam Sepulchri Domini ſingulare & a prima ſeculi origine inauditum & inviſum videte & obſtupeſcite fieri miraculum in orbe terrarum. Audiſtis miracula Prophetarum, audiſtis miracula Apoſtolorum, audiſtis ipſius Salvatoris adhuc inter homines viventis miracula, audiſtis innumerabilium ejus diſcipulorum infinita & miranda opera; quibus & Dei cognitio mortalibus ſe efficacius infundit, & bonorum hominum merita divina bonitas aliquando patefecit. Sed jam non dicam, audite; ſed dicam, attendite, videte, accedite, & conſiderate, qui ſignum hoc admirabile ad gloriam Sepulchri ſui in tempore iſto non auribus veſtris obtulit, ſed oculis veſtris ingeſſit; ingeſſit, immo ingerit oculis veſtris ignem cæleſtem (29), eoque Sepulchrum ſuum non ſemel ſed annuatim honorat (30). Innuit, immo aperte clamat quanto illud homines honore colere debeant, cum tam præclara & cælos præbere obſequia videant. Mittitur a Patre luminum de cælis lumen ad terras, & a Sepulchro Domini corporales tenebras fugans, lumen, quod illuminat omnem hominem, ibi quondam latuiſſe, inde quondam ſurrexiſſe, clarius omni luce demonſtrat, fortius omni argumento confirmat. fugat de tenebris hominum, quos tamen Joan. Cap. V. 36.

28. Adibis *Commentarium meum Num.* XXX.

29. En adnotationem Martenii ad hunc locum. *Inſigne hic deſignat,* inquit ille de Petro Venerabili, *miraculum, quod olim ſingulis annis contingebat in Sepulchro Domini, ubi in Vigilia Paſchatis ignis divinus de cælo deſcendens omnibus videntibus Eccleſiæ lampades accendebat: cujus quidem miraculi teſtes ſunt, Bernardus Monachus qui anno 870. Hieroſolymam profectus illud a ſe viſum refert in ſuo Itinerario, vetus Pontificale Eccleſiæ Pictavenſis ante annos 800. manu exaratum, Rodolphus Glaber L. 4. Hiſt. C. 6., Leo Oſtienſis Chronici Caſinenſis Lib. 3. C. 3. Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, Auctor Hiſtoriæ belli ſacri Tom. 1. Muſei Italici Mabillonii n. 102., Guillelmus Malmesburienſis Lib. 4. de regibus Anglorum, Chronicon Andrenſ. Spicil. Tom. 9. & Chron. Fontanenſe ibid. Tom. 10.* Hæc Martenius. Fuſius ego diſſeram de hoc igne *Commentarii mei Num.* XXXI. *& ſeqq.*

30. Conſule *hunc ipſum Commentarium Num.* XXXII.

ductrix omnium ad vitam gratia irradiat, omnes dubietatis tenebras, nec fidem, quæ in Christo est, vel in modico vacillare permittit; dum tantæ novitatis signum nonnisi a Deo posse fieri cernitur, nec nisi veritati veritas, quæ Deus est, testimonium posse ferre cognoscitur. Supplet plenissime nobile miraculum antiquorum miraculorum locum; nec, istud attente considerans, ea post istud sibi necessaria ad roborandam fidei gratiam judicabit (31). Quid enim si tu, qui ad roborandam fidem tuam signa requiris, a Prophetis Christum prædicentibus, ab Apostolis Christum prædicantibus, ab innumeris quoque aliis ejus discipulis, cæcos illuminari, surdis auditum restitui, mutos loqui, leprosos curari, dæmones expelli, morbos omnes auferri, mortuos suscitari, montes transferri, atque alia diversi generis omnem numerum excedentia signa fieri non vidisti? Numquid non alienis sed tuis oculis signum hoc admirabile & pene omnibus præferendum ab eodem signorum Auctore ad ejus Sepulchrum fieri non vidisti? quod si forte, quia non aderas, non vidisti, numquid ab innumeris qui viderant hominum millibus illud referentibus non audisti (32)? Nam licet adeo frequenter nostris his diebus miracula jam dicta non fiant, quia nec jam mundo scientia Domini repleto, sicut primis temporibus necessaria sunt, nec illi qui fidem, quam patres eorum tenuere, abjecerunt, etiam digni sunt: licet, inquam, non adeo ut prius tam frequentia miracula fiant; datum est tamen hoc nostris seculis miraculum, quod, sicut dictum est, plene supplere valeat illorum omnium locum miraculorum.

XVI. Nonne enim, ut de digniori inter miracula miraculo loquamur, aut majus aut saltem æquum est ignem de cælo deponere, & animam ab inferis revocare? nonne æque mortalibus & impossibile & stupendum videtur, & spiritum de imis redire, & ignem de supernis venire? nonne æqualiter pugillo divinæ potentiæ concluduntur & spiritus mortuorum & ipsa corporalis & ignea vis cælorum? Non est hoc miraculum sicut portenta magorum inane aut phantasticum (33), sed verum, corporale, ac solidum; quia ignis corporeus ad gloriam Sepulchri Domini de cælis a Deo missus corporalibus papyri vel stupæ speciebus adjungitur, & corpore olei ceræque depascitur. Apparet visibili hominum splendore; indicat tactibus hominum calore ignem se esse corporeum implens imposita sibi annuæ servitutis officia: ad honorem corporis Domini olim in illo corporali Sepulchro conditi corporali & publico officio deservit. Quid igitur quæris videre mortuum de terra surgentem, cum videas e terris ignem e cælo fulgentem? de cælo plane tibi datum est hoc signum, sicut Judæis datum fuerat de terra signum: illis sicut infidelibus & terrenis datum est signum de terra, tibi sicut fideli & cælesti datum est signum de cælo. Illis datum est signum de terra Christus in corde terræ, id est, in hoc seculo sepultus: ut morte ejus, quam ipsi intulerant, aut aversi damnarentur, aut conversi salvarentur; tibi datum est signum de cælo, primo Christus resurgens & in cælos ascendens, deinde ignis ab ipso de cælo missus: ut lumine cælesti magis spiritualiter illumineris: ut calore ejus magis spiritualiter accendaris: & sic illuminatus agnitione divina, accensus claritate superna, suo tempore ad cælestia proveharis. Est ergo, ut dictum est, de cælo ignis cælestis, quo homines illustrati & accensi ad amanda cælestia animentur, & a Jesu Christo Domino suo hujus tanti miraculi auctore, ad ea ante sepulchrum animabus, post sepulchrum corporibus subleventur (34).

XVII. Advertendum est & hoc ad augmentum miraculi, quod non Nazareth ubi Christus conceptus, non Bethleem ubi natus, non Capharnaum ubi nutritus, non alia Judææ vel Galilææ loca, in quibus infans, puer, adole-

31. Hic quoque vide *Commentarium meum Num.* XXXIII.
32. *Eundem Num.* XXXIV.
33. *Eundem Num.* XXXV.
34. *Eundem Num.* XXXVI.

ſcens, juvenis, educatus, demoratus, converſatus eſt, lumen illud cæleſte illuminat; ſed ſolum Sepulchrum Domini, ei venerabiliter infulgendo, honorat. Addendum eſt & hoc ad inſignis ſigni altitudinem commendandam, quod non die Conceptionis Domini, non die Natalis Domini, non die Apparitionis Domini, non die Repræſentationis Domini, ſed die Paſſionis uno, die Sepulturæ Domini ignis iſte cæleſtis in terris apparet; nec de tribus diebus ac noctibus, quibus Salvator jacuit in Sepulchro, aliam, quam Sabbati, id eſt requiei diem, ad demonſtrandum eligere ſolet; & cum annuo recurſu Paſſionis vel Sepulturæ Domini memoria non deſignata una eademque die, ſed ſecundum patrum regulas maturius vel ſerius celebratur, non fallitur mutati miraculi certitudo (35): ſed cæleſtis benignitas devotionem proſequens Eccleſiæ ſuæ, die, quo Chriſtus in Sepulchro carne quieſcens recolitur & adoratur, cæli ſublimia humilitati terrenæ adjungit, & tam nobili & jucundo miraculo Chriſtianorum ſuorum ſolemnia condecorat. Magnum quidem & admirandum fuiſſet, ſi tantum ſemel patrum vel noſtris temporibus ſignum hoc mortalibus apparuiſſet; ſed nunc longe majus & mirabilius eſſe quis non videat, cum ante multorum annorum ſpatia nullum neque patrum neque noſtris diebus ab hoc miraculo annum fidei & ſaluti hominum conſulens ſuperna pietas excipiat; continuata eſt jam iſto miraculo tanta ſeries ſeculorum, ut nullus nec in decrepitis ſenibus reperiatur, qui ab aliquo præcedentium hujus tanti ſigni exordium ſe audiiſſe aliquando fateatur (36). Ita omnipotens diſpenſator, qui unicuique tempori providet & diſpenſat, rareſcentibus prioribus miraculis, iſtud eis jam ex longo tempore ſuccedere voluit; tantumque eſſe decrevit, ut & vicem præcedentium ſignorum compleret, & ſe mundo & Chriſtianæ fidei non ſolum per gratiam ſed nec etiam per miranda opera, ubi neceſſaria ſunt, poſſe deeſſe monſtraret. Quare hoc? quare, inquam, loca vel dies Conceptionis, Nativitatis, Apparitionis, Repræſentationis, ipſius quoque Reſurrectionis, vel Aſcenſionis, loco vel diei Sepulturæ, cæleſti judicio, cæleſtibus dignitatibus indicantibus ſubterponuntur? Patet, patet ratio totis ulnis affectuum amplectenda. Conceptione enim Chriſti, vel Nativitate, vel Apparitione, vel Repræſentatione, & ſimilibus, opus noſtræ ſalutis inceptum eſt; ſed ſola morte ejus perfectum eſt; unde & in Cruce, in qua mortem paſſus eſt, ut hoc ita eſſe oſtenderetur, ab eo dictum eſt: *Conſummatum eſt.* More ergo omnium utilium operum dignior eſt etiam hujus operis divini perfectio quam inceptio, conſummatio quam inchoatio, finis quam principium. Nihil enim nobis Chriſtum naſci, nihil circumcidi, nihil baptizari vel baptizare, nihil prædicare, nihil divina & miranda opera facere profuiſſet, niſi mors ejus pro vita mortuorum juſtitiæ Dei oblata fuiſſet; ſed poſtquam morte corporis juſtitiæ Dei ſatisfactum eſt, ſuccedente ejus miſericordia mortuus homo vitæ redditus eſt. Fuit ergo perfectio omnium ejus operum mors ſuſcepta pro vita omnium hominum. Unde quia ipſe hac gratia pro mortuis mortuus locum hunc Sepulchri, in quo quieſceret, elegit; omnibus illud ſacris locis hac electione præfecit. Nam ſicut mors ejus præfertur omnibus operibus ejus: ita locus mortis ejus merito præfertur locis omnibus mirabilium operum ejus. quod vero diem Reſurrectionis, quod diem etiam & locum Aſcenſionis diei vel loco Dominicæ Sepulturæ vel Mortis ſuppoſuit, non dignitatis prælatione, ſed velut cauſæ & effectus diſtinctione monſtravit. Sicut enim hominis peccatum mortis cauſa fuit, ita reſurrectionis & aſcenſionis cauſa eadem Chriſti mors extitit. Nam neque Chriſtus moreretur, niſi peccatum, pro quo mortuus eſt, præceſſiſſet; nec a mortuis reſurgeret, niſi mortuus ante fuiſſet. Et ſicut effectus cauſæ, quæ peccatum dicitur, mors Chriſti fuit; ita effectus cauſæ, quæ mors Chriſti vocatur, reſurrectio & aſcenſio extitit. Quia enim præceſ-

D ſit

35. Et hic confer *Commentarium meum Num.* XXXVII.
36. *Eundem Num.* XXXVIII.

ſit peccatum, reſurrectio & aſcenſio conſecuta eſt. non ergo, ut dixi, quantum ad dignitatem, mortem Domini reſurrectioni vel aſcenſioni præfero; ſed unde illa originem trahant, oſtendo. Mors enim Chriſti reſurrectionis & aſcenſionis cauſa eſt; reſurrectio vel aſcenſio ipſius cauſæ effectus eſt. Mors Chriſti prælii victoria eſt; reſurrectio & aſcenſio triumphus victoriæ eſt. Mors Chriſti pretium eſt; reſurrectio & aſcenſio præmium eſt. Sicut igitur in humanis commerciis non poteſt ſequi præmium emptionis niſi præcedat pretium venditionis, nec poteſt ſequi præmium remunerandi niſi præcedat pretium obſequendi: ſic in hoc divino commercio non poſſet ſequi præmium reſurrectionis, niſi præceſſiſſet pretium redemptionis; quia ergo per redemptionem ipſe eſt ad retributionem, idcirco dies Redemptionis præfertur diei Reſurrectionis; & hoc eodem merito idem dies & locus Redemptionis diei & loco præponitur Aſcenſionis. Claret ergo hac ratione, non incongrue hoc in loco pretium præmio anteponi; quia, ut dictum eſt, non eſſet iter ad præmium, niſi præcederet pretium. Ea cauſa dies Reſurrectionis cum die & loco Aſcenſionis diei & loco Sepulturæ Domini poſtponitur. Et licet infirmitatis ſit mori, virtutis reſurgere: ignominiæ deſcendere, gloriæ aſcendere; tamen quia per infirmitatem ad virtutem, per ignominiam ad gloriam pervenitur, infirmitas virtuti, ignominia hoc loco gloriæ antefertur.

XVIII. De his ne quilibet mortalium dubitaret, ne ficta magis quam vera putaret; tu, Pater omnipotens, humanæ mentis obſcuris involucris occurriſti, & lumine cæleſti ad Sepulchrum Filii tui dimiſſo omnes hujus obſcuritatis tenebras effugaſti. Fugaſti certe humanas tenebras luce ſuperna, & Sepulchrum illud, ubi lumen de tuo lumine natum & per ſuſceptæ carnis mortem quaſi obſcuratum delituit, terrenis omnibus locis eſſe præferendum monſtraſti: commendaſti in gloria Sepulchri ejus magnifice complectendam eſſe humilitatem ſublimem ejus; quia humilitas humilior eſſe non potuit, quam quando ſe idem Filius tuus de altiſſima ſede majeſtatis tuæ non ſolum usque ad terram vivus, ſed etiam usque ad Sepulchrum mortuus inclinavit. Neque enim adeo commendanda erat a te naturalis majeſtas, quantum aſſumpta mortalitas; non adeo innata poteſtas, quantum mutuata debilitas; non adeo propria celſitudo, quantum aliena ſed in te ſuſcepta abjectio. Idcirco magis Sepulchrum ejus quam alia loca humanitatis ejus, tu, qui facis miniſtros tuos ignem urentem, igne miſſo de cælis honoras; ut, quæ ob tantæ humilitatis abjectionem humiliora videri poterant, tam ſublimibus miraculis glorioſiora eſſe clareſcant: gratam tibi in hoc & Chriſti tui humilitatem & Chriſtianorum tuorum eſſe indicas devotionem; dum ſigno illo quo antiquorum Sanctorum affectus tibi placere monſtrabas, eodem etiam obſequia tibi complacere demonſtras.

XIX. Diſcreviſti olim inter munera Abel & Cain ſigno iſto, hoc eſt igne cæleſti, & quid tibi in uno acceptum quid in altero eſſet ingratum, per Scripturam tuam nos docuiſti dicentem: *Inflammavit Dominus ſuper munera Abel, ſuper munera vero Cain non inflammavit.* Dediſti idem ſignum per magnum Prophetam Heliam a te averſis Judæis; & quantum inter cultum Creatoris & creaturæ diſtaret, eodem ignis ſigno monſtraſti dicente prædicto ſervo tuo Helia ad populum: *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et rurſum de ſacerdotibus idolorum: *Dentur vobis duo boves, & illi eligant bovem unum, & in fruſta cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignemque non ſupponam. Invocate nomina deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini: & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus.* Clamavit ergo ſervus tuus Helias, & quod ſolus univerſorum ſis Deus, miſſo de cælis igne holocauſtum ejus abſumente docuiſti. Sic plane, o Domine, ſic, Creator omnipotens, ſic inter nos & inter Judæos vel Ethnicos hoc tempore facis; ſic eorum vota, preces, & munera abjicis; ſic tibi odioſa eſſe oſtendis.

Gen. Cap. IV. 4. juxta verſionem Theodotionis.

Lib. III. Reg Cap. XVIII. 21.

Ibid. v. 23. & ſeq.

dis. Sic eis reprobatis, nostra approbas; sic tuorum sacrificia Christianorum preces & vota tibi placere pronuncias: dum ad Filii tui Sepulchrum, quod soli isti honorant, ut reveletur, eumdem ignem de supernis dirigis: dum eorum corda in amorem tuum eodem igne accendis: dum eos ejus splendore hic & in æternum illustras. Et quia perfidi hostes Christi tui magis ejus mortem quam aliqua ejus humilitatis opera contemnunt, tu, tanti luminis miraculo locum mortis ejus decorando, quantis stultitiæ tenebris teneantur, ostendis. Contemnunt ipsi præcipue mortuum, honoras tu præcipue mortui Sepulchrum; & quod ipsi putant ignominiosius, tu signo tam mirabili esse indicas gloriosius. Reprobas Judæos sicut invidum Cain, reprobas gentiles sicut cultores Baal & super sacrificia eorum non inflammas: eligis Christiani populi hostias sicut munera Abel, approbas ejus sacrificium sicut holocaustum Heliæ, dum Sepulchrum in quo Filius tuus pro nobis factus hostia requievit, igne de supernis transmisso inradias. Latebat olim in parva Bethleem parvulo loco parvulus juxta carnem idem Filius tuus, & hominibus ignorantibus eum mirabiliter stella indice prodidisti; at nunc mirabilius locum Sepulchri ejus cælesti luce illustras, & eum non ut hominem mortuum in Sepulchro latere, sed ut Dominum de cælestibus locis vivis ac mortuis imperare designas. Currunt eo miraculo sed maxime tua gratia tractæ ad Sepulchrum tuum, Jesu Christe Fili Altissimi, gentes universæ; & non solum te Deum & Dominum suum, sed & Mediatorem, Redemptorem & Salvatorem fatentur. Offerunt seipsos tibi, qui teipsum pro eis hostiam obtulisti; nec, ut te in tuo Sepulchro adire possint, terræ marisque pericula ulla verentur. Sciunt quidem jam in illo te Sepulchro non jacere ut mortuum, sed in cælis regnare ut Deum vivum (37); sed tamen quem ad te affectum habeant, lapidem, in quo jacuisti, immo per ipsum te in lapide venerantes ostendunt. Osculantur piis mentibus peccatores pœnitentes lapidem tuum (38); & quia sicut peccatrix sed pœnitens illa Maria pedes tuos super Angelorum verticem constitutos osculari non possunt, ostendunt ibi lacrymando vulnera sua, ne se super eos continere valeant super miseros semper misericordia stillantia viscera tua. Non ignorant te a tempore passionis mortis & sepulturæ tuæ majore super eos, quam ante, pietate moveri; quia eos non facile mori permittis. Noverunt non posse te pati æquanimiter irritum fieri tanti pretii pretium, quod pro mortalium vita dedisti: nec ferre patienter, ut post mortem tuam hi, pro quibus mortuus es, moriantur; regno enim mortis, quod usque ad te protensum fuerat, succedere vitæ regnum fecisti, & tam diram ac longissimam servitutem tanta ac perpetua libertatis gratia mutasti.

XX. Ostendisti per ipsum diem, in quo mortuus es, per ipsum locum, in quo sepultus es, pro quibus & quare mori & sepeliri voluisti; & hoc melius rebus quam verbis ignorantes homines docuisti. Nam sexta die creasti hominem, quia sexta hora illud quod deliquerat per lignum expiando ad paradisum revocasti hominem (39). Post meridiem ad auram in paradiso deambulans peccatorem increpando dixisti: *Adam ubi es?* Post meridiem hora Gen. Cap. III. 9.
nona emittens spiritum (40) peccatorem ad paradisum reduxisti, cui dixeras: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ad quam paradisum ut omnibus post latronem Luc. Cap. XXIII. 43.
per mortem & sepulturam tuam aditum patefactum monstrares (41), in paradiso, hoc est in horto, pati; in paradiso crucifigi; in paradiso mori; in paradiso sepeliri; de paradiso etiam resurgere voluisti. Sic enim loquitur dilectus Discipulus tuus, Apostolus tuus, Evangelista tuus. Sic certe de loco, in quo

D2 captus

37. Hæc item in *Commentario meo illustravi Num.* XXXIX.
38. *In eodem Num.* XL.
39. *In eodem Num.* XLI.
40. *In eodem Num.* XLII.
41. *In eodem Num.* XLIII.

Joan. Cap. XVIII. 1. Potius Joannes Cap. XIX. 41.

captus pati cœpisti, ait: *Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus.* Sic Petrus non alia etiam de loco mortis & sepulturæ tuæ testatur: *Erat*, inquit, *in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum.* Ergo quid aliud, o Domine, o Patris æterni invicta virtus, o summa sapientia non tantum fortiter sed pulchre suaviterque disponens omnia? quid, inquam, aliud, ut dictum est, in horto captus, in horto crucifixus, in horto mortuus, in horto sepultus (42), de horto resuscitatus, quam hominis per ista omnia ad hortum, id est ad paradisum, reditum designasti? expiasti in horto, quod commissum fuerat in horto; & ut culpam in horto perpetratam dilueres, pœnam culpam illam expungentem in horto subiisti. intulerat homini horti culpa æternam mortem, restituit homini horti pœna æternam vitam. sic misericorditer & eleganter opus tuum, o Salvator, redintegrans, quod perierat restaurans, per mortem tuam hominis tui mortem destruxisti; per Sepulchri tui quietem animabus tuorum quietem providisti; per resurrectionem carnis tuæ e Sepulchro carni humanæ resurrectionis gloriam præparasti. Adhibe igitur pias aures ad Sepulchrum tuum venientium precibus, inclina etiam eas remotorum te in Sepulchro tuo venerantium affectibus (43); quia obesse non potest illa benignitas & communis pietas his, quos & bona conjungit voluntas. Pacem enim quam per cælestis exercitus sacram militiam bonæ voluntatis hominibus nunciasti, de Sepulchro resurgens & pax vobis dicens per teipsum eisdem hominibus bonæ voluntatis exhibuisti. Unde quia tu æternus es, pacem nominando, eam non transitoriam sed æternam designasti: hanc a te, & Sepulchro tuo proximi, ab eo etiam corpore remoti implorant. Suscipe ergo tu, qui in Sepulchro mortuus jacuisti, qui de Sepulchro a mortuis resurrexisti, preces & fletus & affectus tuorum; & a tuo nomine Christianos vocatos, tuæ Crucis charactere insignitos, eo signo Israelitarum more ab Ægyptiis hoc est ab omni infidelium numero distinctos (44), baptismate tuo a peccatis omnibus lotos, corpore & sanguine tuo ad vitam æternam refectos, spirituali affectu mortuos & sepultos; hos, inquam, omnes, tu, qui resurgens a mortuis jam non moreris, tecum resuscita: vacua tuo Sepulchro sepulchra eorum, destrue morte tua mortem eorum, repara tua vita vitam eorum, para ascensu tuo ascensionem eorum; & ut debito fine concludas omnia quæ pro eis fecisti, da eisdem regnum cælorum, tu, qui Rex es & Dominus regni cælorum; præsta, ne a diabolo peccatis aut mundo impediti confundantur ab expectatione sua; sed per te, qui expectatio gentium dictus es, beata eorum spes in adventu tuo commutetur gloria & felicitate æterna. Apparebit tunc longe amplior gloria Sepulchri tui, quando hi, qui te in humilitate sepultum devotis sunt obsequiis prosecuti, non solum in animabus, sed etiam in corporibus ad perpetuam de sepulchro resurrectionem immortalitatis gloria fuerint sublimati (45). Nam qui in hac peregrinatione eis ad patriam tendentibus per susceptæ carnis humilitatem factus es via, apparebis eis per divinæ potentiæ majestatem veritas & vita sempiterna, qui vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

42. Iste etiam locus expositus est *in Commentario meo Num.* XLIV.
43. *In eodem Num.* XLV.
44. *In eodem Num.* XLVI.
45. *In eodem Num.* XLVII.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ SERMONE PETRI VENERABILIS CONTINENTUR.

Prior numerus paginam, alter numeros Sermoni appositos notat.

A.

ABelis & Caimi munera igne Deus discrevit. 14. XIX.

Adam primus omnium parens ubi fuerit sepultus? 7. IX. Primus de numero filiorum ejus Christus corruptioni minime obnoxius. 2. II.

Altari Dei sanctius Christi Sepulchrum. 3. IV

Angelicis præconiis Sepulchrum Christi insignitur. 4. V.

Antrum incorruptionis usque ad cæli fastigium de terris elevatum Domini Sepulchrum. 1. I.

Arca Dei sanctius Christi Sepulchrum. 3. IV.

B.

BOnæ voluntatis hominibus Christus de Sepulchro resurgens & *pax vobis* dicens eam per seipsum largitus est. 16. XX.

C.

CAusa laudandi Sepulchrum Domini. 4. IV.

Cælesti honore dignum tanti Benefactoris reclinatorium Christi Sepulchrum. 2. II. 4. V. Idem cælestis munditiæ locus & habitaculum. 10. XIV.

Christus primus de numero filiorum Adæ corruptioni minime obnoxius. 2. II. Ejus in Sepulchro conditi Jonas in ventre ceti constitutus signum. 5. VI. Sepulchrum ipsius juxta Isaiæ oraculum est gloriosum. 8. & *seqq.* XII. & *seqq.* Ipse prædicente itidem Isaia in signum populorum positus est. 9. XII. Eundem eodem prænuntiante gentes deprecantur. *ibid.* Quare in sepulchro, quod omnes fugiunt, quieverit? 10. XIII. De eo gloriosa opera tam in cælis quam in inferno fecit. *ibid.* Vide: *Sepulchrum Christi.*

Cor terræ Sepulchrum Domini. 6. VII.

D.

DAci Sepulchrum Christi a jugo Persarum & Arabum eruunt. 10. XIV.

E.

ELiæ & cultorum Baalis sacrificia igne Deus discrevit. 14. XIX.

F.

FIdei Christianæ se non solum per gratiam sed nec etiam per miranda opera posse deesse monstravit omnipotens igne ad Sepulchrum Christi demisso. 13. XVII.

G.

GAlli Germanique populi Sepulchrum Domini a jugo Persarum & Arabum eruunt. 10. XIV.

Gentes variæ ad Sepulchrum Domini veniunt. 10. XIV. Terreno & marino itinere hunc sacrum Locum a jugo Persarum & Arabum eruunt. *ibid.* Quærebant Sepulchrum sed non in ipso sepultum utpote in cælis jam residentem. *ibid.* & 14. XIX. Solemne Isaiæ vaticinium implerunt, cum idem Sepulchrum amore Christi e perfidorum manibus eripuerunt. 11. XIV. Idem vitæ suæ præposuerunt. *ibid.* Nulla pro eo pericula expaverunt, & mortem ipsam contempserunt. *ibid.* 14. XIX. Omnem gloriam suam ejus gloriæ subjecerunt. *ibid.* Omnibus terrenæ habitationis locis gloriosius declararunt. *ibid.* Currunt ad illud miraculo ignis cælestis quotannis ad ipsum descendentis sed maxime gratia Christi tractæ. 15. XIX. Lapidem in quo jacuit, imo in lapide Christum venerantur. *ibid.*

Gloria Sepulchri Domini Matris ejus gloriæ contigua esse probatur. 4. & *seq.* V. Ab Isaia prædicta. 8. & *seqq.* XII. & *seqq.* Igne cælesti quotannis declaratur. 12. & *seqq.* XV. & *seqq.*

H.

HAbitaculum munditiæ cælestis Sepulchrum Domini. 10. XIV.

Hierosolyma cordis terræ nomine intelligi potest. 6. VII. Id ostenditur Scripturæ locis. 6. VIII. Philosophica ratio hac in parte suffragari potest. *ibid.*

Homo qua ratione evadere debet sepulchrum ejus, qui pro ipso jacuit in Sepulchro. 7. & *seq.* X. Potest effici vitale Christi sepulchrum. 8. X. Ita felicius eo lapide ipsi requiem præbebit. 8. XI. Feliciorem eodem lapide exitum habebit. *ibid.* Exitum Christi promerebitur. *ibid.* Sexta die post meridiem & hora nona ad paradisum reductus. 15. XX.

Hortus, in quo Christus fuit sepultus, paradisus. 15. & *seq.* XX.

I.

IGnis ad Sepulchrum Christi. 11. & *seqq.* XV. & *seqq.* Est de gloria hujusce Sepulchri testimonium majus omni homine. 11. XV. Miraculum singulare a prima seculi origine inauditum & invisum. *ibid.* Signum admirabile, quo non semel sed singulis annis honoratur. *ibid.* Quanto illud homines honore colere debeant, ostendit. *ibid.* Lumen, quod illuminat omnem hominem, ibi quondam latuisse,

inde surrexisse demonstrat. *ibid.* Fidem nec in modico vacillare permittit. 12. XV. Tantæ novitatis signum nonnisi a Deo posse fieri cernitur. *ibid.* Nobile miraculum antiquorum miraculorum locum supplens. *ibid.* Ad roborandam fidei gratiam satis est. *ibid.* Signum admirabile & pene omnibus præferendum. *ibid.* Ab innumeris hominum millibus visum atque narratum. *ibid.* Æque magnum est ac animam ab inferis revocare. 12. XVI. Non est hoc miraculum sicut portenta magorum. *ibid.* Est ignis corporeus. *ibid.* Judæis tanquam infidelibus & terrenis datum est signum de terra, homini Christiano tanquam fideli & cælesti datum est hoc signum de cælo. *ibid.* Causa, cur sit datum? *ibid.* Non alia loca, in quibus Christus constiterat, sed solum Sepulchrum Domini honorat. 13. XVII. Non alia aliqua sed sepulturæ die: neque alia, sed duntaxat Sabbati. *ibid.* Etsi serius vel maturius passionis vel sepulturæ Domini memoria celebretur, miraculum certo adest. *ibid.* Insigne signum. *ibid.* Nobile & jucundum miraculum. *ibid.* Magnum & admirandum fuisset, si tantum semel Patrum vel nostris temporibus apparuisset. *ibid.* Sed longe majus & mirabilius, cum ante multorum annorum spatia nullus ab hoc miraculo annus excipiatur. *ibid.* Nullus vel in decrepitis senibus reperitur, qui hujus signi exordium se ab aliquo præcedentium audivisse fateatur. *ibid.* Rarescentibus prioribus miraculis istud Deus succedere voluit. *ibid.* Voluit quoque demonstrare, se Christianæ fidei etiam per miranda opera, ubi necessaria sunt, non deesse. *ibid.* Cur non in alia loca, in quibus Christus constiterat, cur non alio nisi sepulturæ die hic ignis venire consuevisset, causa exponitur. 13. & *seq.* XVII. & *seq.* Isto etiam igne Sepulchrum Domini terrenis omnibus locis præferendum fore monstratur. 14. VIII. Hoc quoque in gloria ejusdem Sepulchri humilitatem Filii sui magnifice complectendam Pater omnipotens commendavit. *ibid.* Ob eandem humilitatem præ aliis locis istomet lumine Tumulus hic honoratur. *ibid.* Tali signo antiquorum Sanctorum affectus sibi placere Deus monstrabat: nunc placere Christianorum obsequia demonstrat. *ibid.* Hæc & Judæorum atque Ethnicorum vota eodem igne discernit, quemadmodum munera Abelis & Caini, sacrificium Eliæ & cultorum Baalis olim discreverat. 14. XIX. Quantis illi stultitiæ tenebris teneantur, ostendit. 15. XIX. Hoc signo mirabili indicat esse gloriosius, quod ipsi putant ignominiosius. *ibid.* Olim apud Bethleem natum Filium suum stella indice mirabiliter prodidit, nunc mirabilius locum Sepulchri ejus cælesti luce illustrat. *ibid.* Non ut hominem mortuum in Sepulchro latere, sed ut Dominum de cælestibus locis vivis ac mortuis imperare designat. *ibid.* Eo miraculo sed maxime gratia Christi tractæ gentes currunt ad idem Sepulchrum. *ibid.* Hujusce miraculi testes. 11. *in adnotat.*

Infernus Christi spiritum liberum inter mortuorum spiritus libere omnia agere miratus est. 2. II.

Incorruptionis antrum Christi Sepulchrum. 1. I. Ex illo incorruptio ex vita exorta est. 2. I. 5. VI.

Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus positus, est signum datum ad gloriam Sepulchri Christi. 5. VI. Qua in re fuit signum? *ibid.*

Isaias Christi Sepulchrum gloriosum futurum prædicit. 8. & *seqq.* XII. & *seqq.*

L.

LApis in quo Salvator requievit, nullam aliquando mercedem accipiet. 8. XI. Eum, imo in eo Christum populi venerantur. 15. XIX. Etiam ipsum piis mentibus osculantur. *ibid.* Vide: *Sepulchrum Christi.*

Locus salutaris Christi Sepulchrum. 1. I. Est etiam Locus beatus, 2. I. Præ cunctis orbis terrarum locis veneratione habendum. 2. II. Aliis locis sanctis sanctius. 3. IV. Majorem illis omnibus laudem meretur. 4. IV. Non tantum hic locus quantum ipsum sanctificans glorificandus. *ibid.* Miraculorum ad illud factorum cum aliis ad alia loca sancta factis comparatio. 4. V. Locus est cælestis munditiæ. 10. XIV. Omnibus terrenæ habitationis locis gloriosius. 11. XIV. Igne e cælo demisso terrenis omnibus locis præferendum monstratur. 14. XVIII. Ob humilitatem Christi præ aliis locis istomet lumine honoratur. *ibid.*

Loca humani generis saluti aptiora ante secula providit Deus. 6. VII. Ideo medius mundi locus electus est, e quo æque in omnes salus diffunderetur. 6. VII.

Lumen S. Sepulchri. Vide: *Ignis cælestis.*

M.

MIraculorum ad Sepulchrum Christi factorum cum aliis ad alia loca sancta factis comparatio. 4. V. Miraculum ignis cælestis ad idem Sepulchrum quotannis descendentis supplet plenissime antiquorum miraculorum locum. 12. XV.

Medium orbis destinatum est ad exercenda opera redemptionis. 6. VII.

Medius mundi locus Sepulchrum Domini. 6. VII.

N.

NOrici Christi Sepulchrum a jugo Persarum & Arabum eruunt. 10. XIV.

O.

OPera miranda, ubi necessaria sunt, fiunt. 13. XVII.

P.

PAtris tumulus Christi Sepulchrum. 10. XIV.

Petrus Venerabilis a multo tempore in animum induxerat laudes dicere Sepulchro Christi. 1. I.

Præsepis Domini cum Sepulchro ejus comparatio. 2. III. Qua ratione honoretur? *ibid.* Sepulchri Domini gloria ejus gloriam excellit. *ibid.* & 4. 5. V.

R.

REclinatorium tanti Benefactoris Sepulchrum cælesti honore dignum. 2. II.

Res sensu non præditæ propter se laudes non merentur. 3. IV.

S.

SAlvatrix Spelunca Christi Sepulchrum. 8. XII.

Sanctitas variarum rerum. 2. IV.

Sepulchra hominum pyramidibus, marmoribus, sculpturis, picturis, floribusve ornantur. 1. I.

Sepulchrum Christi. Ei laudes dicere a multo tempore in animum induxerat Petrus Venerabilis. 1. I. Est Locus salutaris. *ibid.* Antrum incorruptionis. *ibid.* Spelunca, de cujus septis infernus expugnatus est. *ibid.* Laudibus intimo amore nascentibus ornandum est, non quemadmodum hominum sepulchra varii generis lapidum florumque apparatu: ad laudes etiam omnis virtutis cultus adjungendus. 1. & *seq.* I. Ex illo incorrupti ex vita exorta est. 2. I. Est & Locus beatus. *ibid.* Panem nobis vitæ sempiternæ providit. *ibid.* Causa, cur majore veneratione præ cunctis orbis terrarum locis habendum. 2. II. In ipso pro vita nostra mortuus requievit. *ibid.* De eodem mortuorum omnium sepulchra concussa sunt, & ad immortalem vitam eorum corpora reparata. *ibid.* Est tanti Benefactoris reclinatorium cælesti honore dignum. *ibid.* 4. V. Excellentiore gloria quam præsepe Domini colitur. 2. III. 4. V. 5. V. Ejus cum illo comparatio. *ibid.* Suo merito non laudatur. 3. III. Quia consecratum est a corpore Domini, laudatur. *ibid.* Cum variis rebus & locis sanctis confertur, ipsisque sanctius ostenditur. 3. IV. Templo Dei, Altari Dei, Arca Dei sanctius est. *ibid.* Majorem omnibus aliis locis sanctis laudem meretur. 3. & *seq.* IV. In ipso non tantum locus quantum ipsum sanctificans glorificandus. 4. IV. Quicquid de eo dicitur, referendum est ad honorem sepulti Domini. *ibid.* Ejusdem gloria Matris Domini gloriæ contigua esse probatur. 4. & *seq.* V. Cum utero ejus egregie comparatur. *ibid.* Est Specus salutaris. *ibid.* Sepulchrum venerandum. *ibid.* Sublimibus miraculis illustratur. *ibid.* Horum cum aliis ad alia loca sancta factis comparatio. *ibid.* Angelicis præconiis, cælestibus honoribus insignitur. *ibid.* Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus positus, est signum datum ad gloriam ejus. 5. VI. Est vitale Sepulchrum, quo Christus mortuorum omnium sepulchra vivificavit. *ibid.* Proprie cor terræ, id est, medius mundi locus vocatur. 6. VII. In quo nobis est imitandum. 8. X. Isaias ipsius gloriam futuram prædixit. 8. & *seqq.* XII. & *seqq.* Multis titulis est gloriosum. 10. XIII. De eo gloriosa opera tam in cælis quam in inferno fecit Christus. *ibid.* Quodnam sit laboris præmium, quæ periculorum merces ad illud venientibus. 10. XIII, & *seq.* Gentes variæ ad hocce Sepulchrum veniunt. *ibid.* Ab iis a jugo Persarum & Arabum erutum. *ibid.* Quamvis scirent in ipso sepultum jam non quiescere, tamen ad illud confluebant. *ibid.* Ab impiorum sordibus hunc cælestis munditiæ locum & habitaculum expurgarunt. *ibid.* Ne aditus ad Patris Tumulum intercludi posset, providerunt. *ibid.* Ipsi animas & corpora immolaverunt. *ibid.* Idem vitæ suæ præposuerunt. 11. XIV. Nulla pro eo pericula expaverunt, mortem contempserunt. *ibid.* Omnem gloriam suam ejus gloriæ subjecerunt. *ibid.* Omnibus terrenæ habitationis locis gloriosius declararunt. *ibid.* De cujus gloria habere possumus testimonium majus omni homine. 11. XV. Quippe ad gloriam ejus sit singulare miraculum ignis de cælo quotannis ipsum honorantis. *ibid.* Qui quidem ignis demonstrat, lumen, quod illuminat omnem hominem, ibi quondam latuisse, inde surrexisse. *ibid.* Alia loca præter istum eo non honorantur. 13. XVII. Sola die, qua Christus in ipso quiescens adoratur, hoc miraculum fit. *ibid.* Cur ita sit, ratio redditur. 13. & *seq.* XVII. & *seq.* Isto etiam igne Sepulchrum Christi terrenis omnibus locis præferendum ostenditur. 14. XVIII. In gloria ejus humilitatem Filii sui magnifice complectendam fore Pater omnipotens commendavit. *ibid.* Ob eandem humilitatem præ aliis locis isto lumine honoratur. *ibid.* & 14. XIX. Eodem idem locus mirabilius proditur, quam apud Bethleem stella indice Christus. 15. XIX. Isto miraculo sed maxime gratia Christi tractæ gentes currunt eo loci. *ibid.* Nec, ut in illo ipsum adire possint, terræ marisque pericula ulla verentur. *ibid.* Lapidem in quo jacuit, imo eum in lapide venerantur. *ibid.* Osculantur piis mentibus peccatores pœnitentes lapidem istum. *ibid.*

ibid. Ostendunt ibi lacrymando vulnera sua *ibid.* Per hunc Locum Christus ostendit, pro quibus sepeliri voluerit. 15. XX. Per quietem captam in Sepulchro animabus suorum quietem providit. *ibid.* Per resurrectionem carnis suæ ex ipso carni humanæ resurrectionis gloriam præparavit. *ibid.* Vt adhibeat pias aures ad illud venientium precibus, inclinet etiam eas remotorum se in eodem venerantium affectibus: ut vacuet hoc Sepulchro suo sepulchra eorum, orat Petrus Venerabilis. 15. XX. Et eidem Sepulchro proximi & ab eo corpore remoti pacem, quam Christus a mortuis excitatus annuntiaverat, ab ipso implorant. *ibid.* Tunc major gloria Sepulchri ejus apparebit, cum ii, qui ipsum in humilitate sepultum religiosis obsequiis sunt prosequuti, non solum in animabus, sed & in corporibus immortalitatis gloriam fuerint assequuti. *ibid.* Vide: *Lapis.*

Sermo de laudibus Sepulchri Christi animo Petri Venerabilis a longo tempore conceptus. 1. I. Quicquid de eo dicitur, referendum est ad honorem sepulti Domini. 4 IV.

Specus salutaris Christi Sepulchrum. 4. V.

Spelunca, de cujus septis infernus expugnatus est, Christi Sepulchrum. 1. I. Idem salvatrix Spelunca. 8. XII.

T.

TEmplo Dei sanctius Christi Sepulchrum. 3. IV.

Terra post latam in hominem mortis sententiam corpora humana corrumpenda suscipiebat. 2. II. Primum de numero filiorum Adæ Christum suscepit corruptioni minime obnoxium. *ibid.*

Terra promissionis cordis terræ nomine intelligi potest. 6. VII. Cur eam ab initio usque pene omnes justi incoluerunt? 7. IX.

V.

VItale Sepulchrum Christi. 5. VI.

Vterus Matris Domini cum Sepulchro Christi confertur. 4. V.

INDEX.

RERVM MEMORABILIVM

QVAS EPISTOLA AD PATRONVM OPERIS ET DISSERTATIO COMPLECTITVR.

***E.* Epistolam, *D.* Dissertationem, Numerus paginam notant.**

A.

AAron Gallus primus Abbas Tinecensis. E. II. & XII. Ejus vitæ integritas. *ibid.* Casimiro I. Poloniæ Regi adhuc Cluniaci notus. *ibid.* Fit Archiepiscopus Cracoviensis. E. XII. Ipsius ordinatione gradus vivorum tempore Quadragesimæ introducti. *ibid.* Constituit, ut quilibet Abbas Tinecensis sit Canonicus natus in Ecclesia Cracoviensi. *ibid.*

Acta Hierosolymitanæ Ecclesiæ S. Sepulchri vulganda. E. VII.

Anhusense templum Ord. S. Bened. continet fanum ad exemplar Tumuli Christi factum. E. VI.

Anselmus Archipræsul Mediolanensis solemnem S. Sepulchri Commemorationem unoquoque anno celebrandam constituit. D. XV. & *seq.* Ritus hujus Commemorationis. *ibid.*

Arnulphus Patriarcha Hierosol. Ecclesiam S. Sepulchri de Commisago Abbati Fructuariensi Ord. S. Bened. committit. E. VII. & *seq.*

Apud Arvernos Monasterium S. Sepulchri Cluniacensium Congregat. E. V.

B.

BArtoszewski Stanislaus Benedictus Ord. S. Bened. Ejus nomini *Sermo S. Petri cognomento Venerabilis de Laudibus Sepulchri Christi* summo jure inscriptus. E. I. & *seq.* IX. & *seq.* Cum egregiis Viris comparandus. E. X. Multis animi dotibus instructus. *ibid.* Principibus perquam acceptus. *ibid.* Viris in Ecclesia præcipuis carus. E. XI. Ordinis sui intra Regnum Poloniæ Præses. *ibid.* Polonæ Congregationis Generalis in Vrbe Procurator. *ibid.* A Benedicto XIV. Pont. Max. Archicœnobii Tinecensis Abbas creatus. *ibid.* Ipso Abbate alia Tineciæ majestas & elegantia. E. XII. Quartam redituum partem ad instaurandum Archicœnobium atque Templum suis cessit. *ibid.* Alios etiam ea de causa sumptus suppeditavit. *ibid.* Egregios Viros, qui vice sua suos gubernarent, eligi curavit. *ibid.* Pristinum jus, ut ipse suique posteri Canonici Maximi Cracoviensis Templi sint, adseruit. *ibid.* Ad supremum Regni Poloniæ Tribunal Judex deputatus. E. XII. & *seq.*

Benedictini Ordinis Virorum in Christi Sepulchrum peculiaris religio. E. II. & *seqq.* Reliquias ejus in templis asservant. E. IV. Asservant & ceram oleumque divinitus ad hoc Sepulchrum accensa. *ibid.* Monasteria

nasteria sua nomine S. Sepulchri vocant. E. IV. In templis fana ad exemplar Tumuli Christi ponunt. E. V. & *seq.* Hierosolymis ipsum adorant. E. VI. Primi de eo commentarios scribunt. E. VI. & *seq.* A Patriarcha Hierosol. & Canonicis S. Sepulchri specialibus officiis habentur. E. VII. & *seq.* Inter eos necessitudinis vinculum. E. VIII. Pro Polona Congregat. Officium de S. Sepulchro juxta ritum monasticum formari curant. E. IX. Eorum merita commendatione non egent. D. I.

Bernardus Monachus lumen divinum ad Sepulchrum Domini videt. E. III.

Bernardus S. *novissimus Patrum*. D. VII. Cur ita vocetur *ibid.* Petro Venerabili amicitia junctus. *ibid.* In laboribus pro Ecclesia susceptis socius. *ibid.* Ejus nomen in Epitaphio ejusdem Petri exaratum. *ibid.* De auxilio terræ sanctæ sollicitus ipsum ad Carnotensem Conventum invitat. D. XII.

Bibliothecæ Romanæ, in quibus se profecisse præsentis Sermonis Vulgator profitetur. D. XVIII.

Blandiniense templum Ord. S. Bened. continet reliquias Christi Sepulchri. E. IV.

Buydecki Floriani Ord. Can. S. Sepulchri Procuratoris Generalis studia in procuranda Officii & Missæ de S. Sepulchro approbatione. E. IX.

Buydecki Matthæus Cracoviæ ad S. Hedvigem primarius S. Th. Professor. D. II. Bytomiensis & Charzoviensis Præpositus. *ibid.* Apud ipsum hic *de Laudibus Sepulchri Christi Sermo* illustratus. *ibid.*

C.

Cameracense Monasterium S. Sepulchri Ord. S. Bened. E. IV.

Canonici Sepulchri Christi cum Wisso de Radolina Antistite Cracoviensi ad adorandum idem Sepulchrum profecti. E. VI. Eorum Capitulum Hierosolymitanum Ecclesiam S. Sepulchri de Commisago Abbati Fructuariensi committit. E. VII. & *seq.* Mortuos Benedictinos sibi renuntiari petunt. E. VIII. Abbatem olim Cluniacensem Patriarcham habent. *ibid.*

Cardinalium S. Mariæ Mediolani appellatione Canonici honestati. D. XV.

Casimirus I. Rex Poloniæ Monachus olim Cluniacensis. E. II. Duodecim Monachos Cluniaco missos excipit. *ibid.* Ipsis Tineciam arcem cum centum amplius pagis attribuit. *ibid.* Aaronem Gallum Abbatem primum constituit. *ibid.* & XII.

Casinense templum Ord. S. Bened. continet reliquias Sepulchri Christi, E. IV. Ibi in ara S. Benedicti aliquid olei, quod ad Sepulchrum Domini divinitus arserat, reconditum. *ibid.* & *seq.*

Castriduni Monasterium S. Sepulchri Cluniacensium Congregat. E. V.

Cavei de Petro Venerabili dicta. D. IV.

Centulense templum in Pontivo Ord. S. Bened. continet reliquias Sepulchri Christi. E. IV.

Centulensis Cryptæ Ord. S. Bened. majus altare continet particulam ceræ ad Sepulchrum Domini divinitus accensæ. E. IV

Ceræ ad Sepulchrum Domini divinitus accensæ reliquiæ. E. IV.

Charzoviæ in Silesia hic *Sermo de Laudibus Sepulchri Christi* illustratus. D. II.

Cluniacensis Congregatio. Abbas ejus IX. *S. Petrus Venerabilis.* D. III. Quadringentis circiter Monachis Cluniaci præest. *ibid.* Patriarchæ Hierosolymitano ad loca sancta Palæstinæ oranti se suosque Cluniacenses commendat. D. X. & *seq.* Hujus Congregationis in Hierosolymitanam Ecclesiam ejusque Præsulem specialis propensio. D. XI. Ei Monachi apud Hierosolymam agentes sese addicunt. D. XIV. Quam longæ in Monasterio Cluniacensi vigiliæ. D. XVII. In ipso *Sermonem de Laudibus Sepulchri Christi* decantatum fuisse vero simile est. D. XVII. Ut Ecclesia ejus reliquiis S. Sepulchri honoretur, rogat Petrus Venerabilis. D. XI. & *seq.* Casimirus I. Poloniæ Rex ibi Monachus. E. II. Inde duodecim Monachi ad condendum Archicœnobium Tinecense mittuntur. *ibid.* Monasteria istius Congregationis nomine S. Sepulchri appellata. E. V. Giroldus Abbas olim Cluniacensis Patriarcha Hierosol. E. VIII.

Commisagi Monasterium S. Sepulchri Ord. S. Bened. E. IV. A Patriarcha Hierosol. & Canonicis S. Sepulchri Abbati Fructuariensi commissum. E. VII. & *seq.*

Confraternitas. Vide: *Sodalitas.*

Congregationis S. Mauri in Galliis Viri clarissimi. D. I.

Cracoviensis Ecclesiæ Canonicus natus quilibet Abbas Tinecensis. E. XII.

D.

Dies memoriæ S. Sepulchri sacra D. XIV. & *seqq.*

E.

Expeditiones sacræ in Palæstinam. D. VIII Quam celebris fuerit post Claromontanum Concilium. *ibid.* & *seq.*

F.

Fana ad exemplar Tumuli Christi facta in templis ponuntur. E. V. & *seq.*

Festa dies S. Sepulchri. D. XV. & *seq.* Ejus vetustas. *ibid.*

Fructuariensi Abbati Almeo Ord. S. Bened. Arnulphus Patriarcha Hierosol. cum Canonicis S. Sepulchri committit Ecclesiam S. Sepulchri de Commisago. E. VII. & *seq.*

G.

Galli potissimum sacram expeditionem in Palæstinam suscipiunt. D. X.

Gentes variæ ad Sepulchrum Domini veniunt. D. IX. & *seq.*

Giroldus Abbas olim Cluniacensis Patriarcha Hierosol. E. VIII. Juxta Domini Sepulchrum conditus. *ibid.*

H.

HEbdowski Dominicus Ord. S. Bened. curat formari Officium de S. Sepulchro juxta ritum monasticum. E. IX.
Hierosolymitanum iter universæ gentes aggrediuntur. D. VIII. & *seq.* Idem aggredi animus erat Petro Venerabili. D. XIII.
Hierosolymitana Ecclesia optima orbis terrarum pars. E. III. Ejus dignitas. *ibid.*
Hugo Lusinianus Cypri Rex Magistrum in Theologia honorat. D. VII.

I.

JOsaphat Vallis Monasterium in Palæstina Cluniacensis Congregationis. D. XIV.
Itali diem festam S. Sepulchri instituunt. D. XV. & *seq.*

L.

LEmerault Ludovicus Ord. S. Bened. Acta Ecclesiæ Hierosolymitanæ S. Sepulchri cum Venceslao Mirkievicio communicat. E. VII.
Loca sancta Palæstinæ a Petro Venerabili peculiari veneratione habita. D. X. & *seq.*
Lumen divinum, quod Sabbato sancto extinctas ad Sepulchrum Domini lampades accendebat, a duobus Monachis visum. E. III.

M.

MAbillonius Ord. S. Bened. laudatus. E. VII. Animus ejus vulgandi Acta Hierosolymitanæ Ecclesiæ S. Sepulchri. *ibid.* Ei imprimis debetur *Petri Venerabilis Sermo de Laudibus Sepulchri Christi.* *ibid.*
Magister in Theologia a Rege honoratur. D. VII.
Martenius Edmundus e Benedictina S. Mauri Congregatione vulgavit Opus sub nomine *Thesauri Novi Anecdotorum.* D. I. In hoc extat *Sermo Petri Venerabilis de Laudibus Sepulchri Christi. ibid.* Ejusdem in eundem Sermonem Admonitio. D. XIX.
Mediolani Solemnis S. Sepulchri Commemoratio instituta. D. XV. & *seq.*
Miechoviense Monasterium ab Abbatibus Tineccensibus contra injuriarum auctores defenditur. E. VIII. & *seq.* Ejus Præpositus Thomas de iis certiorem facit Pontificem Maximum. *ibid.*
Missa de Sepulchro Domini in multis Galliæ partibus. D. XVI. In Polonia. E. IX.
Monachis prohibita ad Loca sancta peregrinatio. D. XI.
Muratowicz Venceslai Præfecturæ Generalis Ordinis Can. S. Sepulchri, cum vacaret, Administratoris studia in procuranda Officii & Missæ de S. Sepulchro approbatione. E. IX.

N.

Narcissus S. Hierosolymorum Episcopus oleum ex aqua facit, cujus specimen diutissime asservatum. E. IV.
Noceuti Monasterium S. Sepulchri Ord. S. Bened. E. IV.
Noctes integras in divinis laudibus ducebant Monachi Benedictini. D. XVII.

O.

OFficium de S. Sepulchro a Canonicis ejusdem Sepulchri recitatur. E. IX. In toto etiam Poloniæ Regno magnoque Ducatu Lithvaniæ. *ibid.* Pro Polona Ord. S. Bened. Congregat. juxta ritum monasticum formatum. *ibid.* Vide: *Missa.*
Olei specimen, quod ad Sepulchrum Domini divinitus arserat, in ara S. Benedicti Casini reconditum. E. IV. & *seq.* A. S. Narcisso Hierosolymorum Episcopo ex aqua facti itidem specimen exiguum diutissime asservatum. E. IV.
Ordinis Benedictini virorum merita commendatione non egent. D. I. Vide: *Benedictini.*

P.

PAtris nomen gravissimum ac sanctissimum. D. VII. Qui primis duodecim seculis floruerunt, hoc ab Ecclesia celebrabantur. *ibid.* In S. Bernardo finem habuit. *ibid.*
Pax firma in Comitatu Mediolanensi octo diebus ante Commemorationem S. Sepulchri & octo postea. D. XV.
Peregrinationes in Palæstinam ad Loca sancta. D. VIII. & *seqq.*
Petri S. cognomento *Venerabilis* varia ornamenta. D. II. Cum S. Hugone Abbate Cluniacensi comparatur. *ibid.* Ejus parentes, patria, vitæ institutum. D. II. & *seq.* Abbas Cluniacensis IX. *ibid.* Quot monachis domibusque præfuerit? *ibid.* Pristinos vivendi mores restituit. *ibid.* Cur *Venerabilis* dictus. *ibid.* & *seq.* Sanctus appellatur. D. III. Acta ipsius breviter exposita. D. IV. Qui eum bene laudaverit, Homerus alter vel Virgilius habendus. D. V. Quibusque sapientibus sui temporis præfertur. D. V. & *seq.* Perfectissimis vero, qui ante vixerunt, comparatur. *ibid.* Vivit ea ætate, qua studia litterarum fuerunt intermissa. V. & *seq.* Omnium liberalium disciplinarum scientiam assequitur. *ibid.* Utrumque Testamentum memoriter retinet. D. VI. Cum sanctis Ecclesiæ Patribus comparatur. *ibid.* Nomine *Patris* merito donandus. D. VI. & *seqq.* Tempore suo S. Theologiæ Magistros sive Doctores appellari usus necdum obtinet. D. VII. S. Bernardo coætaneus, peculiari amicitia junctus, & in laboribus pro Ecclesia susceptis socius. *ibid.* Vocatur ab ipso *honorabile membrum in Christi corpore. ibid.* Ab omnibus patronus optatur. D. VII. Quid ipsum permoverit ad laudes Dominico Sepulchro faciendas. D. VIII. & *seqq.* Eo tempore vivit, quo frequentes in Palæstinam peregrinationes atque expeditiones. *ibid.* Cur ille ad visitanda Loca sancta profectus non fuerit. D. X.

D. X. & *seq.* Ipsius erga eadem religio. *ibid.* Religio in Sepulchrum Christi, cujus reliquias a Patriarcha Hierosol. petit. D. XI. & *seq.* De negotiis Terræ sanctæ sollicitus. D. XII. & *seq.* Animum habet Hierosolymam proficiscendi. D. XIII. Tempore ipsius Monachi apud Hierosolymam agentes Cluniacensi Congregationi sese addicunt. D. XIV. Montis Thabor & Vallis Josaphat monasteria in Palæstina ei parent. *ibid.* Cui usui fuerit ipsius de laudibus Sepulchri Christi Sermo. D. XIV. Ætate sua homines ejusdem Sepulchri venerationi summopere addicti. D. XIV. & *seq.* Quid de ejus nobilitate a Cluniacensibus in Epitaphio scriptum. E. X. Versus de victoria Romæ de Pontio Abbate ab ipso reportata. E. XI. & *seq.*

Petrus Pictaviensis Monachus Petri Venerabilis Notarius ipsius doctrinam laudat. D. V. & *seq.*

Placentinum Monasterium S. Sepulchri Ord. S. Bened. E. IV. Est in templo ejus fanum ad exemplar Tumuli Christi factum. E. VI.

Polona Ord. S. Benedicti Congregatio curat Officium de S. Sepulchro juxta ritum monasticum formari. E. IX.

Ponteleviense templum Ord. S. Bened. continet reliquias Sepulchri Christi. E. IV.

Q.

QUi Venceslao Mirkievicio ad Romanum iter aggrediendum operam dederunt. D. XVIII. Alia occasione digno cum elogio commemorandi. *ibid.*

R.

RAdlinski Jacobus Ordinis Canonicorum Sepulchri Christi Præpositus Generalis non fert laudari. D. XVIII. Ejus studia in procuranda Officii & Missæ de S. Sepulchro approbatione. E. IX.

Reliquias Sepulchri Dominici petit Petrus Venerabilis. D. XII. Asservantur in templis Ord. S. Benedicti. E. IV.

Rupellam prope Monasterium S. Sepulchri Cluniacensium Congregationis. E. V.

S.

SAbbato sancto lumen divinum extinctas ad Sepulchrum Domini lampades accendebat. E. III.

Sepulchrum Domini variæ gentes visitant. D. IX. & *seq.* In illud Petri Venerabilis peculiaris religio. D. XI. & *seq.* Ejus ipse reliquias petit. *ibid.* Hunc Sermonem die memoriæ ejus sacra habet. D. XIV. Erga idem suæ ætatis hominum religio. *ibid.* & *seq.* Ejusdem solemnis in Ecclesia Mediolanensi unoquoque anno Commemoratio. D. XV. Ad veram ipsius similitudinem aliud ibidem factum, atque a populo quemadmodum Hierosolymis visitatum: visitantes remissionem tertiæ partis delictorum habebant, & ad laudem Hierosolymitani Sepulchri id referebant. *ibid.* Gallis nulla alia gens in ejus adorationem propensior. D. XVI. Missa de eo. *ibid.* Lumen divinum extinctas ad illud lampades accendebat Sabbato sancto. E. III. Est gloriosum, sed diabolus tentat reddere inglorium. E. IV. Ad ejus exemplar fana posita in templis. E. V. & *seq.* Ipsius Hierosolymitanæ Ecclesiæ Acta vulgandi animus fuit Mabillonio. E. VII. A Wisso de Radolina Antistite Cracoviensi, & comitantibus eum Abbate Tinecensi duobusque Canonicis nostris adoratur. E. VI. De eodem Officium cum Missa in Ordine nostro supra hominum memoriam. E. IX. Noviter approbatum *ibid.* Toti Regno Poloniæ magnoque Ducatui Lithvanorum recitandum concessum. *ibid.* Juxta ritum Monasticum Ord. S. Bened. formatum. *ibid.*

Sermo S. Petri Venerabilis de Laudibus Sepulchri Christi a Martenio vulgatus. D. I. Qua occasione repertus. *ibid.* Quo fine iterum typo impressus. D. II. & XVIII. Quando & ubi illustratus. *ibid.* Multis commendatur. D. II. Caveus ejus mentionem non facit. D. IV. Est præstantis scientiæ Petri testimonium. D. V. Valde utilis atque elegantissimus. *ibid.* & D. XIX. Cur ab eodem factus sit. D. VIII. & *seq.* A multo tempore ejus animo conceptus. *ibid.* Cui usui fuerit? D. XIV. Viva etiam voce prolatum fuisse conjectura est. *ibid.* Aliqua die memoriæ S. Sepulchri sacra ad populum habitus. *ibid.* & *seq.* Etiam decantatus. D. XVI. & *seq.* D. XIX. Dissertatione illustratus. D. XVII. Commentario propediem vulgando adornatus. *ibid.* Summario atque Indice auctus. D. XVIII. Numeri ei appositi. *ibid.* Finis eo utendi qui debeat esse? *ibid.* Mabillonio imprimis debetur. E. VII.

Sieciechoviensis Abbas Præpositum Miechoviensem Pontificia auctoritate fretus defendit. E. VIII.

Sodalitas vulgo *Confraternitas* Monachorum Fructuariensium & Canonicorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ S. Sepulchri. E. VIII.

Solemnitas in Commemoratione S. Sepulchri Mediolani. D. XV. & *seq.*

Sylvester II. Pont. Max. Ord. S. Bened. nomine Hierosolymitanæ Ecclesiæ Catholici Orbis Ecclesiam ad ferendum ei aliquod subsidium hortatur. E. III. & *seq.*

T.

TErræ sanctæ negotia procurat S. Bernardus. D. XII. Ea cordi fuerunt Petro Venerabili. D. XIII.

Thabor Montis Monasterium in Palæstina Cluniacensis Congregat. D. XIV.

Theologiæ Magistri sive Doctoris appellatio ætate Petri Venerabilis necdum introducta. D. VII. Quando ea usurpari cœpit. *ibid.*

ibid. Quanto in pretio fuerit seculo decimoquarto. *ibid.*

Tinecense Archicœnobium a monachis Cluniaco missis conditum. E. II. Centum amplius pagis a Casimiro I. donatum. *ibid.* Aaronem Gallum primum Abbatem habuit. *ibid.* Ejus Abbas cum Wisso de Radolina Antistite Cracoviensi & duobus Canonicis Sepulchri Christi ad id adorandum profectus. E. VI. In auctores injuriarum Monasterio Miechoviensi illatarum alius ejusdem Abbas inquirit. E. VIII. Hujusce Monasterii Præpositum Pontificia auctoritate fretus defendit. *ibid.* Sub regimine Stanislai Benedicti *Bartoszewski* alia ejus majestas & elegantia. E. XII. Ipsius Abbates sunt Canonici nati in Ecclesia Cracoviensi; quod privilegium Abbas Stanislaus Benedictus sibi posterisque adseruit. *ibid.*

Trecensis Diœcesis Monasterium S. Sepulchri Cluniacensium Congregationis. E. V.

V.

Viæ S. Sepulchri sacræ in Palæstinam expeditiones vocatæ. D. X.

Vigiliæ nocturnæ apud Benedictinos quam longæ fuerint. D. XVI. & *seq.*

Villariense in pago Belvacensi Monasterium S. Sepulchri Ord. S. Bened. E. IV.

Vissus de Radolina Cracoviensis Antistes cum Tinecensi Abbate & duobus Canonicis Sepulchri Christi ad id adorandum profectus. E. VI.

Vrbanus II. Pont. Max. ad sacram expeditionem hortatur. D. VIII.

Z.

Zaczynski Theophilus Canonicus Ordinis nostri. Præpositus Vrocimoviensis, deinde Prevorscensis. D. XVIII. Multis animi dotibus exornatus. *ibid.* De Ordine nostro eximie meritus. *ibid.* Quod Venceslaus Mirkievicius iter Romanum fuerit aggressus, ei potissime adscribendum. *ibid.*

EXCVSVS CRACOVIÆ
IN TYPOGRAPHIO SEMINARII ACADEMICODIOECESANI
ANNO M. DCC. LX.
AVGVSTO III. REGE.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0030992